


6
21 B
40




B




STICHOSTRATIA
EPIGRAMMATΩN CENTVRIAE QVINQVE

IOANNIS GIRARDI Diuionensis Apud Assonam DICASTAE.









LVGDVNI,

Apud Mathiam Bonhomme,

M. D. LII

CVM LICENTIA.



B. ANVLI

PRO

IO. GIRARDI

DELPHINO

APOLOGESIS.





OANNIS GIRARDI Diuionens. Delphinus (Is fuit primus ingenij eius in Poësi fœtus)de noua nouem sororũ Metamorphosi. cùm ante annos duos Lugduni excudendus,mala sorte incidisset in typographiæ non correctorem, sed corruptorem: sic inde exijt in lucem deformatus: vt qualem si vidisset,

Deiphobum Priamus lacerum crudeliter ora,
Ora manúsque ambas populatáque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.



nó esset filiũ agniturus:talé etiã suum primogenitũ vix agnouisse potuerit ipse parens. Porrò cùm impressis iam exéplaribus multis illum refingere non esset integrũ:& Autor ex alieno delicto crimen sustineret,præbitaq; foret inuidulis(qui nusquã absunt) calũniæ occasio,ibi quid ageret animi dubio,cõsultissimũ est visum homini cordato,& erudito,nomi-

nis sui falsissimè traducti honorem vindicare, instructa nouorum carminum acie, per cẽturias quinque ordinata, quorum integritas, & elegantia, luxatos fuisse priores versus arguat. Quique manifestè testentur omnium æquo iudicio, quantum vir ille ab eiusmodi erroribus committendis, aut negligendis longè absit, quantúmque eruditione valeat, ac ingenio pariter amœno, atque humano. Ne quis igitur adeò sit iniquus arbiter: qui ex prioribus tametsi pauculis erroribus: (quos Poëta non agnoscit) cætera illius præiudicet: posterius hoc Poëma legat: & ex eo aliunde inustas natiuę speciosi alioqui Delphini formæ notas æstimet.

EIVSDEM OGDOASTICHON IN PEDESTRES IO. GIRARDI CENTVRIAS.

Inuidia siculi non inuenere tyranni
Tormentum maius, multiplici ore fera:
Cui si præcidas caput vnum: mox orientur
Ex irritato vulnere, sex alia.
Contra hanc excetran gerit ardua bella Girardus
Quinque tuens nomen nobile Centurijs
Per numeros aciem in mediam nunc ire pedestres
Ordine quas Lector, progrediente vides.



IOANNES GIRARDVS DIVIONENSIS PROMPTAE ET HONESTAE VOLVNTATI SVAE S.



HVC AD ME ACTVtum propera (ô mea Voluntas) audi, & vide: audit, & videt Inuidia Delphinum illũ meum in nostra Burgundia amabiles doctorum hominum consuetudines, & eorũdem duraturas perpetuò amicitias sibi, mihi quasiuisse: Immensum illa irata obmurmurat: Immortale odium (quod iandudum mecũ exercuit) profunda, memoriq; mente reuoluit: arma, arma cogitat, & mirum est, quales, quãtæq; tum intemperiarum, tum impotentiarum insanię luridam, fœtidamq; eius animam circumuallant: Ecce tibi, mea dum de iure responsa congero, ex improuiso tubicines eius interueni-

unt: mihi, Delphinóque meo obfirmatis, & de sua Regina ferocientibus animis apertum bellum denunciant:sine mora tres Irrisionum, Ineptiarũ, Susurrationum, Obtrectationumq;, miscellaneas cohortes, Mendaciorum in equis phalanges quinque, Calumniarum, & id genus omne furiarum septem legiones prodire, hisque stupendis ordinibus monstrum horrendum, ingens, cui lumen ademptum, infœlicem quandam nominis obliuionem præesse conspicio. Ea sic instructa illuuies viam ad me gladiatorio, atque adeò pertinaci animo affectat: mearum de melioribus studijs cogitationum, méique ipsius ingenij arcem obsidione cingere, eamdemq; cominus, & eminus, omni denique telorum genere oppugnare statuit. Quod (si quid iudico) nisi armatorum meorum Epigrammmatωn fortis, idémque ad pugnam paratissimus exercitus hîc mihi præsto sit, & hostes festinantius inuadat: ego profectò mihi, Delphinoq; meo de regno, dignitate & gloria mea valde timeo. Protinus ergo ab intimis meorum scriniorum finibus copias palàm comparo, eaq; istiusmodi mea mihi auxilia prima, & præcipua contraho. Quinque virtute præstantes, rerum vsu claros, & nulli aduersario superabiles Centuriones, quinque delectis Epigrammatωn cẽturijs sub vno meę Pasithæę vexillo præficio. Huius autem ego te aciei ducem esse iubeo: & ad vnum in hac parte maiore quàm vsquam vspiam militaris

litaris stipendij spe te maximè hortor: me nempe, vt hîc audias: quòd si vis audire me, inordinatas & inso lescentes meorum hostium turmas, coacto hoc tuo agmine punctim, cęsim, inuadi, primo etiam congressu superari, opprimi, extrudi, retundi, profligari abs te vo- lo: Et per Her culem,

Prima, & pręcipua es pars (ô mea prompta Voluntas)
Desideratę glorię, & victorię.
Auguror: optatos feret hîc tuus ensis honores:
Prędixit hoc vati mihi vates Deus.

VALE, ET IMPERA MEA O VOLVNTAS. ASSONAE, CALEND. IVLII. M. D. LII.

NON GRAVIS IRA, SED VOLVNTAS.



1 Bona Voluntas.
2 Inuidia.
3 Lerna malorum.
4 Carminum Centuriæ multipedum.



IOANNIS GIRARDI DIVIONENSIS APVD ASSONAM DICASTAE

EPIGRAMMATΩN Centuria prima.

CLAVDIO GROSTETIO Sororio suo, primo Centurioni. I



Nuidiæ paro bella: meo tibi frater Achilli
Ordino, & hanc primam deligo Centuriam.

De DELPHINO Poëmate suo primo ab Anagnosta corrupto. II

Dum Metamorphosin Musarum Delphin haberet
(Qui primus nostri filius est Genij)
Fortè peregrinis lustrari gestijt undis
Assonicas nec aquas credidit esse satis.

Ergo (φιλάνθρωπος velut est) populosa frequentis
Lugduni ad Rhodanum per vada nauit iter.
Vsque sequens homines. Ast incidit in Crocodilum:
Cui dens vulnificus, linguáque nulla fuit.
Integer exierat: rediit laceratus ab illo.
Quódque solet morsis, contigit huic, canibus.
Nimirum vnius fuerit qui vulnere læsus,
Hunc omnes rabido figere dente velint.
Quæ spes illi igitur? nisi Centuriata parentis
Inuidulos acies vincere docta canes.

Iuuentuti suæ. III

Mox mea difficili scribet de iure senectus:
Nunc mea tu facilem sume iuuenta lyram.

VERITAS VINCIT IIII

Rex fortis, magè forte merum, sed fœmina longè
Fortissima est. At VINCIT OMNIA VERITAS.

Amicis Elpidicon. V

Sit spes. viuemus, donec moriamur (Amici)
Burgundi inuita dimatis inuidia.

Temerario. VI

Vt tibi sint centum (velut Argo) lumina, nùm tu
Cornici potes, & figere vis oculos?

Cogitabundi Ενθουσιασμός VII

Dormio? non: summo cœli consisto recessu,
Multa tegens oculo: multa mouens animo.

Pragmatico nimiùm ad opes properanti. VIII

Si quàm præproperè curris, tam currere possem,
Possem Tartareo proximus esse loco.

Eidem. IX

Tam tibi pes leuis est, celeri quoque tam pede curris,
Vt te non leuius currat & ipse lepus.

In Iurgiosum. X

Stentorea vatem qui turbat voce Girardum,
Quæ immineant capiti non videt arma suo.

Lingua latina super ERASMI morte. XI

Diuinus perijt (si tu mihi dicis) Erasmus:
Dicis cum Phœbo me perijsse meo.

Magnifico Pollicitatori. XII

Parua abs te tandem, non munera magna requiro:
Maxima sis quamuis tu mihi pollicitus.

VILLEAE puellæ, Mutuus amor. XIII

Tu me semper amas: te Villea semper amabo.
Ingratus si non quisquis amatur, amat.

Amico leui. XIIII

Quid tibi vis? verbo lusi, non verbere læsi:
Sic ego te fortem dicam, & venerabor amicum.

Rufo Interminatio. XV

Magnam Rufe dabis pugnam rursus mihi: quod si
Non sapis aut caueas, qui lachrymabit, eris.

Ironia in Zoilum XVI

Qui mihi tantũ hominẽ hũc inimicum habeã, faciãq;
Méne mei miseret? me miserétne mei?

De seipso variè accepto. XVII

Cur multis placeam, caussas cognoscere possum.
Displiceam multis cur ego, non video.

De BACCHO. XVIII

Extenuat Bacchus vires, & roborat idem,
Si fuerit nimius, si fuerit modicus.

Dignum amicitia amicum deligendum. XIX

Quisquis Agasonem locuplẽs sibi fecit amicum,
Næ cupit ignauos cogere fuste asinos?

De seipso duplici amore affecto. XX

Non mage delectat Venerem flos, atquè Mineruam.
Floribus oblector Palladis, & Veneris.

CRISPO. Nomen ex re. XXI

Vis doctus, vis Crispe bonus: sapiénsque videri?
Fac doctè, atque bene, fac sapienter agas.

Hominum nequitia

Nil peccare pudet: tam magna licentià nobis:
Labimur ex vitio protinus in vitium.

Patri suo. XXII

Nos aduersus oues vulpizant vnus, & alter
Nos opus esse lupos, vel magis esse viros.

Bono

Bono péragi exitu, bono inchoata principio. XXIIII

Qui bene vult finire, bene incipit: incipe, fini.
Ipse suum finis principium sequitur.

DIVINETIO XXV

Si bene diuinas oculis quæ conspicis ipse:
Vides amorem in me tuum: diuina, amas?

De BRAMANDO XXVI

Ecquot habet reliquos noster Bramandus amicos
Præter modum cum irascitur?

De BRITONE amabili causidico. XXVII

Caussidicum quisquis non possit amare Britonem,
Nescit caussidicos quid sit amare viros.

De RIVAEO cessatore XXVII

Dum minimum nobis prodest, sibi dum nocet ipsi,
Negligit irriguis currere Riuus aquis.

De L. PICARDO XXIX

Ipse meo nunquam cupiam caruisse Picardo:
Tam ridet ore toto, adeóque gutture.

CLERICO Pragmatico XXX

Dum tibi Clericus es, dum gaudes Clericus esse,
Infensus clero Clerice viue meo.

D. DEO Vindictam XXXI

Vindictam Dominus (si nescis) quærit IESVS
Dari sibi: tu illi hanc, retribuet tibi,

In nullius industriæ hominem XXXII

Si non magna facis nostro miracula mundo,
Non miror, Dominus non potes esse Deus.

Malæ Fœminæ In EVRIPIDIS effigiem. XXXIII

Si tu non fugias homines mala fœmina viuos,
Hic tibi depictum quid fugis Euripidem?

D. CHRISTO: Ex Paul. 2. ad Cori. 5. XXXIIII

Nos tibi, non nobis Christe optime, viuimus omnes:
Pro quibus est certum te voluisse mori.

SIMONI. XXXV

Odi homines: Et tu inter bruta animalia viuis:
Dicor ego Timon, diceris ipse Simon.

Ad Homines In MERCVRIOS Principes Deos. XXXVI

Viuite præstigijs Homines, & viuite technis.
Mercurios video viuere fraude Deos.

D. CHRISTO Tunc satiabor cum apparuerit gloria tua. XXXII

Non satior mundo, forsan satiabor Olympo
Cum maiestatem videro Christe tuam.

Inuitatio ad cœnam. XXXVIII

Cœna parata domi est tibi, si mox sumpseris alas
Atque volas: nihil est currere velle, vola.

REGI inter pocula pridie EPIPH. XXXIX

Te inter tot cyathos Regem Fortuna creauit:
Rex, Dominus, si vis dicier, euge bibe.

Vt res longè absit, opinionem plurimùm efficere XL.

Vt res ipsa absit, præpollet opinio multùm:
Sat dormire potest, quem vigilare putant.

NASONI diuiti, indocto, & valetudinario. XLI.

Sanum quære tibi corpus, mentemq́ potentem
Cum tua sint cæcæ scrinia Naso Deæ.

Nasatus, mentulatus. XLII

Cui longus est, & pendulus nasus viro
Pendentem habet, longamq́ valde mentulam.

Rusticus pudor. XLIII

Huc, illuc animus diuersum flectitur: heu me,
Noxius esse potest rusticus iste pudor.

De suis affectibus. XLIIII

Nunc metuit: nunc bile tumet, dolet, ardet amore,
Vtq́ Girardus homo est: spe putat omne suum.

Malus frater. XLV

Se mea suspendat Soror vnica, tres quoque Fratres
Se perdant, Fratris nomine tam moueor.

Taciturnitatem vt plurimùm vtilem, & necessariam. XLVI

Vtilius multò multis, meliúsque fuisset,
(Quàm lingua) obscœno podice verba loqui.

In Nebulonem, ex HOMERO. XLVII

Hic Nebulo fugientis habet penetralia cerui,
Atque adlatrantis osq́, pedemq́ canis.

Neminem primo quoque die fieri doctum, & sapientem. XLVIII

An non & vulgo (quod verum est) audio dici?
Primo quóque die nemo magister erit.

In quendam Tribunum, seu Præfectum militum. XLIX

Intêgrum, fortémque hominem tua pondera quærunt.
Scilicet imbellis Semiuir illa feres?

Puellæ suæ. Amoris flagrantia. L

Me tuus vrit amor : misero quid restat amanti?
Gutta veni, totus sin minus ignis ero.

Vxoris forma, ex placida gratia. LI

Sat formosa mihi Coniunx, sat bella videtur,
Si mihi syncero rideat ex animo.

Inimico. Odij temperantia. LII

Non amo te nimium, sed & idem non nimium odi:
Quod nimis est, tibi tam displicet, atquè mihi.

In nostratium Dominarum abusus. LIII

Nostris mulabus non est tam magna Phrenesis.
Quam magnus nostris est Dominabus abus.

Cum potentiore viro non certandum. ex HOMERO LIIII

Iuppiter ille mihi subità succenseat ira,
Cum præstante magis me si ego pugno viro.

Vxor-

Vxor adultera Marito mœcho. LV

Vxor ait: Tu dàm ludis cum pellice (mi vir)
Heus facis hoc sine me, quod facio sine te.

Rusticο, & Ridiculo Iocus. LVI

Pabula deficiunt, nostri morientur aselli.
Quid faciẽt vestræ inter Martis prælia vaccæ?

De corpore, & animo suo. LVII

Quantumuis corpus vatis spectato Girardi:
Nam qui animũ poßit spectare est vnus Iesus.

CAMOENIS. LVIII

Vos pulsate meæ citharas pulsate Camœnæ,
Et pulsate meo hanc anxietatem animo.

Puellæ. Ex græ. Polit. LIX

Dans folia, & varios veris præludia flores,
Ver verum ætatis das, loquerisq; tuæ.

Stomacho dolenti. LX

Hic meus ecquid habet stomachus? nõ latrat, abũdat.
Dic stomache ecquid habes? sin mihi tu stomachũ.

De Somno. LXI

Munera vis multi, modici vis munera somni?
Tædia, tristitias: gaudia, delicias.

Qualibus violis VENVS delectetur. LXII

Gaudeat intactis intacta Minerua coronis:
A se vexatas vult Venus esse rosas.

BVRGENSI. Donum ex dante gratius. LXIII

Quæ mihi serta tuo Burgensis nomine donas,
Dic,tua(quò magè sint grata)Puella dedit.

Malæ vitæ homini. Interminatio. LXIIII

Vtor præcipuè his atramento,atq; papyro:
Qui malus est,albus si fuit,ater erit.

Puero, apud POLYMNIVM. LXV

Quinq; fluit venis fons pura nobilis vnda
Hic tua (si vinum tibi deficit) ilia turbet.

Encomiastæ suo. LXVI

Dicere debebam de te,quæ plurima de me
Dicis:labore me leuas.

De CL. IVLIO suo. LXVII

Qui tam munera dat,quam cepit dona libenter
Iulius hac nostra viuit in vrbe meus.

Populo seruire difficile. LXVIII

Qui populo seruit,placet ille haud omnibus æquè:
Multorum capitum bestia quod populus.

MATH. IVNIO LXIX

Ad mea salse tuus candor ientacula Iuni
Si veniat ,pariter tu velut vmbra veni.

Breuis oratio,longa potatio. LXX

Tam breuis hæc penetrat celsos oratio cælos:
Quàm longa euacuat cyathos potatio plenos.

Cami

Camino inscripserat. LXXI

Vt nullo posſit lachrymas educere fumo,
Aſsiduo ridere meus ſolet igne Caminus.

In Bibliothecæ ianua ſcriptũ erat. LXXII

Omnis in hoc habitat fœlici Gratia tecto:
Atq; hæc doctarum eſt ianua Pieridum.

CVPIDINI puero Ludimagiſter. LXXIII

Vt puer hæ tua ſint metuenda potentia tadæ:
Quid poſsim, hæc perhibent Sceptra didaſcalica.

Idem Eidem. LXXIIII

Te quantum timeo, tantum me diſce timere.
Vt tibi ſunt faculæ, ſic mihi ſunt ferulæ.

Stultos conuiuia celebrare: ſapientes epulas comedere, & vina bibere. LXXV

Solennes epulas, ſolennia vina miniſtras:
Nos edimus, bibimus: deſipere, & ſapere eſt.

Inuitatio ad Venerem. LXXVI

Ipſa meas Venus in venas potes ipſa venire:
Huc antè & Bacchus venit, & antè Ceres.

Iuſta fallacia. LXXVII

Iuſte Deus per te demum fallacia iuſta eſt:
Ipſis ſuis quæ imponit impoſtoribus.

Vxori suæ. LXXVIII

Vxor amica, tibi quid criminis Aßona fecit:
Vt magè quàm hîc cupias viuere, vbiq; mori?

Petenti auxilium Auarus. LXXIX

Tum precibus moueor, lachrymis tum deniq; flector:
Me coram plena si potes eße manu.

FRANCIAE. Super Regis edictis. LXXX

Hæc edicta tui multa, & pulcherrima Regis
Francia, qui seruet, dic mihi vbi est Populus?

Mortuos contẽtos: viuos autẽ insatiabiles. LXXXI

Conditione sua contentos tam puto Manes:
Quàm insatiabilibus sunt animis homines.

Amicis, εἰς ὀνόποδα. LXXXII

Ecquis ὀναγρόποδα locupletem fecit? Amici,
Est Dea quæ nullis dicitur eße oculis.

Cautulo. LXXXIII

Duxisti vxorem deformem, sed locupletem,
Duxisti digitis Cautule, non oculis.

Castißimæ vitæ viro. LXXXIIII

Tam tibi duri oculi, tam dura in amore voluntas,
Vt nequeant renes soluere Cantharides.

Amicis. εἰς δίγαμον. LXXXV

Est fortis geminas qui vxores ducit (Amici)
Vnius poßum vix ego ferre caput.

Spurio LXXXVI

Si pater est certus tibi de genitrice Sacerdos,
Hic mihi te Spurium dicere, relligio est.

Fœmina semper mala. LXXXVII

Seu facias quæcunq; volet tua fæmina: seu non
Fæmina semper erit fæmina: nempe mala.

L. BORTHONI. LXXXVIII

Vos alij pueros, alij plantate puellas:
Tu Bortho cerasos insere, deinde pyros.

Quare caussas potissimùm recuset agere. LXXXIX

Tam caussas agere odi, istorum Caussidicorum
Quàm nequeo hoc animo ferre supercilia.

Casæ suæ nouæ fundamentis inscripserat. XC

Hæc Dominus Deus ædificat magalia nobis:
Et vanus non est ædificare labor.

In eiusdem casæ ianua posuerat. XCI

O tristes Curæ, vos magnas quærite turres:
Hanc humilem sibi habet libera vita casam.

Aenigma XCII

Dura fames Regem occîdit, moriturq; Sacerdos
Frigore, & agricolã calor enecat. Euge quid hoc est?

Aliud. XCIII

Odi, amo Caußidicos: sed & ipsas odi, amo caußas,
Difficilis nodus, nodus & hic facilis.

Morbus XCIIII

Tarda equitans abit ipse grauis testudine morbus,
Qui venit celeri naue, superbo & equo.

In malam fœminam, inimici cuiusdam sui vxorem. XCV

Si ploro, ridet: si rideo, fœmina plorat:
Fœmina quæ si non inuidet, inuidia est.

Aedificare culinam, verè esse integram domum ædificare. XCVI

Dum vigilo: & magnã, & pinguem cõpono culinã:
Hoc totam, & stabilem est ædificare domum.

Culinæ supellectilem imprimis parandam. XCVII

Lecto, abaco caream: mensis, careámq; scabellis,
Multa parare meæ malo mihi vasa culinæ.

ΦΑΥΛΩ XCVIII

Te bellè ornarent noua tintinabula φαύλε
Insipiente places tam tibi de capite.

Studiosum non inuidere alijs. ICIX

Nusquam virtuti alterius bonus inuidet ille:
Quisquis virtuti fidit vbiq; suæ.

De suis Centurijs. C

Si quidquam hæ peditũ turmæ mea carmina frigent,
Mirum, cùm statuant sub sydere castra Leonis.

EPIGRAMMATΩN PRIMAE
CENTVRIAE
FINIS.

Hic

Hic ambulant ταξίαρχοι tres, qui (ne iſtius primæ Centuriæ, & ſequentium ordines interrumpantur) ſtudioſè curant.

Eunucho. I

Teſtamenta tibi noſtra conſcribere leges
Permittunt, modò ſint tibi certi denique teſtes.
Sed quî tu poteris teſtes Eunuchus habere?

Porculo. II

Porcule qui tumido toties de ventre ſuperbis:
Deſine: magnicrepi diſtentam ventris habere
Pellem, non honor eſt: onus, atque infamia certè eſt.

In Cauſsidicos malæ, & deploratæ conſcientiæ. III

Cauſſas qui agunt, hoc eſt, meras calumnias,
Viuæ relinquunt fontem aquæ, ſibiq; fodiunt
Ciſternulas: quæ aquas bene non continent.



IOANNIS GIRARDI DIVIONENSIS APVD ASSONAM DICASTAE

EPIGRAMMATΩN Centuria ſecunda.

IACOBO VERNAE CENTVRIONI SECVNDO.



ENTVRIONEM te mihi deligo verna ſecundum:
Et tibi præſentem congrego Centuriam.
Quis me autē, atq; hanc Centuriam bello aggredietur
Inuicto ſub te Centurione meo?

CHRISTO OPT. MAX.

Aonides Muſæ non me fecere Poëtam:
Chriſte facis: Muſas qui facis Aonidas.
Hæc ego ſic per te populo noua carmina dono:
Sic ego, ſic vates ambulo Chriſte tuus.

Quar

Quare de iure non scribat. III

Quid sibi iura velint, & quid sit legibus uti,
Mandarem scriptis forsitan ipse meis.
Hac nisi vita hominum leges, & iura viderem
Esse hominum inter se retia, decipulas.

Virtutem adire difficile: Ad vitia prolabi facile. IIII

Quantum difficile est Virtutis scandere montem,
Tam certè facile est eodem descendere monte.
Tam certe facile est vitiorum accumbere valli,
Quantum difficile est tandem illa exurgere valle.

Puero. V

Pimplæum ad montem, necnon Permeßidas undas
Itur, iter longum, atque asperum vtrumq; licet.
Per rigidum frigus: magnum, multúmque laborem
Palma tibi posita est in medio. Euge Puer.

De seipso & Vulgo diuite, eóque inerti. VI

Musas fastidit dum argento, dum hæret & auro
Vulgus iners: Cui sum fabula factus inops.
Argentum, atq; aurum fastidio, dum hæreo Musis:
Est mihi diues opum fabula Vulgus iners.

Famelicum amoris illecebris non esse obnoxium. VII

Nulla potest vacuum Venus inflammare Priapum:
Si tibi dura fames, dura erit ipsa Venus.

Quare ego nunc nulla incendor, capiorq; puella,
Si caußam quæras, vnica caußa, fames.

De seipso pecunijs carente. VIII

Esto sim fœlix reliquis in rebus, at vna hac:
Et verè, & miserè langueo parte miser.
Quod nũmis careo: quid id est? mea Christe crumena
Non habet ecce crucem: Dæmona forsan habet.

Puellæ. Tentigo. IX

Si cantas, si te alloquor, aspiciám-ve Puella,
Si quando osculor, heus quid fit amica Venus?
Non poßum medius quin turgida cornua miles
Erigat, arrigat & Pamphilus iste meus.

In Lasciuum. X

Est quidam magnus fagi sub tegmine latro:
Cui sua lasciuus tela Cupido dedit.
Ah fugite ô Pueri, fugite ô Pueri, atq; Puellæ
Magnum latronem: quem quoque bruta timent.

Diuiti, eidémque improbo. IX

Si vera auditur Medicorum regula, vt ex his
Præcipuè simus, nos quibus ipsi alimur.
Diues ero certè, si de te diuite viuo:
Si de me viuis paupere, pauper eris.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. XII

Quid? magna Terra, maior Vnda, maximus
Aër, quid (inquam) continent?

Quid

Quid Iuppiter meras nisi dementias?
Vt plena Stultorum omnia.

Lenonis vocatio. XIII

Ten' cessare? tui volunt amores
Tecum ludere: surge, perge, curre:
Ad dictum ipsa locum puella venit:
Primum basia sume, cætera aude.

Tristiciam animo eijciendam. XIIII

Aut animo forti, aut iucundo quisquis amico
Lætitiæ quærit proximus esse, sapit.
Mærores corpus minuunt, animumque fatigant.
Mærere est, miser è viuere, deinde mori.

Alios non expectandos, si per te potes. XV

Tu solus quæcunque potes, tu perfice solus:
Nec tibi vicinos opperiare viros.
Vt mora non noceat, prudentis dicere certè est:
Ipse ministrabo balnea, aquásque mihi.

Turpiter ructanti. XVI

Noster ab hinc decima sibi iungere Grunius hora
Cogitat vxorem connubio Crocotam.
Tu qui tam claros rumpis de pectore ructus,
His eris aulædus scilicet, & Tubicen.

CVPIDINI armato. XVII

Arcifer arciferum telis Amor impete Phœbum:
Si nescis, partes occupat ille tuas.

Armis non vtor: quod si me armatus inermem
Aggrederis, de me gloria quantula erit?

Puellæ inexorabili. XVIII
Si tua de veteri penetralia mouero sede:
Atque tuam tantam vicero duritiem.
Expugnasse ego me vel ahenea mœnia dicam,
Et Iouis auripluos arripuisse dolos.

Ex ECCLESIAST. cap. 29. XIX
Pol, multos aliter clara virtute potentes,
Et strennuos adeò viros
Perdit, eosq́ue agitat velut alti fluminis vnda
Promissio nequissima.

In ASSONAM malorum feracem. XX
Tam lolia, & sentes passim nunc Assona nutrit,
Quàm perditos viros alit.
Hinc est, quod nequeũt doctæ hîc habitare Camænæ:
His delicatius vt nihil.

De Vulpis, & Simiæ coniugio. XXI
Quæritur à multis cur Vulpi Simia nupsit,
In promptu caussa est, si vis me dicere, cauda est.
Posthac vulpina poteris colludere cauda
Prospiciesq; tuo posthac ô Simia culo.

VENERI. Arcani amores. XXII
De qua magna quidem est mihi spésq; fidésq; puella,
O Cypri tecum disputo multa domi.

De

De qua nulla quidem eſt mihi ſpeſq; fideſq; Puella,
O cypri tecum diſputo pauca foris.

MERCVRIO inuitamentum. XXIII

Impoſuere meis ſua plurima gaudia menſis
Ceres, Lepor, Bacchus, Venus:
Quare ſi mecum cupias ridere parumper,
Alate Mercuri huc veni.

Sibiipſi. Epanorthoſis. In diem viuendum. XXIIII

Quid Deus apportet, quid craſtina proferet hora.
Tu tibi perplexus, ſollicitusque nimis.
Ergo præſentem ſapienter reſpue mundum:
Atque in præſentem viue Girarde diem.

VILLEAE BONO DIEI Scutifero nuptæ. XXV


Exſiccate meam carnem Curæ, atq; dolores:
Transportate meum Cura, Dolorq; animum.
Vah, formoſa Bono mea nubit amica Diei.
Viue bono mea tu Villea viue die.

Patientem imperare. XXVI

Is mihi perpetuis fœliciter imperat annis,
Qui potuit mores ferre, patique meos.
Tu verò mihi perpetuos es ſeruus in annos:
Qui dominus cerebri non potes eſſe tui.

Amor dux ſequendus. XXVII

Per ſummos montes, per & aſpera ſaxa, per omnes
Lucos ipſe ſequar, ſi meus inſtet Amor.



Nil timeo ventos, frigús ve, famém ve, sitim ve,
Si meus ille meos praeat ante oculos.

Ingratis rursus benefacere non oportere. XXVIII

Munera multa dedi fictis ego diues amicis:
Qui me post factum deseruere inopem.
Fio iterum diues: fictis non fallor amicis:
Quae mea sunt iubeo perpetuò esse mea.

POETARVM amicitia quaerenda, inimicitiae fugiendae. XXIX

Damnant, aut laudant (sic est natura) Poetae,
Atque suo pingunt quémq; colore virum.
Ergo hos nunquàm habeas inimicos, semper amicos:
Socraticae hoc nempe est nobile dogma scholae.

Votum in AMOREM. XXX

An bona res sit Amor, ἄπειρος nescio sanè,
Si sciero, faelix sit mihi semper Amor.
An mala res sit Amor, ἄπειρος nescio sanè,
Si sciero, infaelix me procul absit amor.

Ex SALOMONIS Prouerb. Cap. 25. XXXI

Plurima si medio se fundant nubila caelo:
Si rabie Boreas stridеat, & crepitet.
Nec nebulas, Boreamq; imbres, pluuiaéque sequantur:
Promissor mendax, atque superbus, id est.

Disci

Discipulus literarum osor, vinique potor. XXXII

Gallica si præceptor abest exhaurio vina:
Et Latij gelidas despuo fontis aquas.
Gallica mox magno loquor, eloquor impete verba:
Et nullo Latios tempore curo sonos.

Lex amicitiæ. XXXIII

Illi ne insideas amice sellæ,
Ex qua suam non plus reportet in domum
A te verus amicus, atque falsus.
Leges amoris te docet Themistocles.

Tres Riuales. XXXIIII

Vnum tres lapidem volunt ac usq; reuoluunt,
Nempe Puellam vnam (sed sibi quisq;) petunt
Arte Vachardæus, lingua Mongestius inslat;
Falcæus valet, & tentat vtroq; vir est.

In ASSONICOS derisores, & mendaces. XXXV

Assonicæ technas, ludos, mendacia Plebis
Si quicquam æquo animo ferre potes, Deus es.
Si Deus es, solus potes hæc, & cætera ferre:
Et nunquam celeres præcipitabis equos.

De AMORE. ex PLAVTO. XXXVI

Infœlix quicunque Deo se credit Amori:
Et nimiò huic quisquis seruit honore miser.
Sed certè quicunque Deum contemnit Amorem:
Et certè quisquis nil amat, is nihil est.

In lasciuum Senem. XXXVII

Dic mihi Pythagora: post vltima quid fore mortis
Fata Senem (qui sit fractus amore) putes?
Per Venerem fiet pulchrum, & laudabile porrum:
Vt viridi cauda est, albiculáque coma.

De seipso, nummis in aleæ ludo deperditis. XXXVIII

Impia quando meos corraserit aleà nummos,
Vt reliquum mihi non fecerit illa obolum.
Næ Deus, & fortuna volent me viuere belle
Francisci indutum calceolo, atque toga?

Irascendum: sed sine peccato. XXXIX

Qui non vel modicæ es stimulus obnoxius iræ,
Mente cares: mentem Dijque, Deæque tuam,
Christicolæ Diuina mihi quod pagina dictat,
Irascor quoties paucula, pecco nihil.

De seipso pauperiem pertæso Ad BARTOLVM. XL.

Hoc desiderio tabent corpúsque, caróque:
Hæc sunt prima mei Bartole vota animi:
Extremũ, vt fiam locuples, aut Maxima, Sancta
Sit, nihil esse mihi dicere, relligio.

Alius peccat, alius plectitur in seipsum. XLI

Euge Girarde tibi si peccat & vnus, & alter,
Cur quosdam immeritos criminis insimulas?

Sic vulgo dicunt: crimen tulit æquus iniqui:
Sic dico: & petulans Musa aliquando mea est.

Auarus, & inhumanus κατὰ προσωποποιΐαν

XLII

Iracunda volunt miserum quem fata iacere
Tun' vis è glabra tollere diues humo?
Eia vide quid agas, neu illi nil deniq; prosis,
Neu cum illo iaceas, atq; etiam pereas.

Amico sub finem prandij, Ex Ioan. cap. 3.

XLIII

Omnis homo in prima bona ponens pocula mensa
Ponere in extrema deteriora solet.
Tu vero usq; & adhuc mihi dulcia vina ministras.
Næ videor tibi non ebrius esse satis?

Bonos laudandos: Malos vituperandos.

XLIIII

Si non laudentur, quibus est cura vnica Virtus:
Ecquis eos dicet, vel sciet esse bonos?
Si non damnentur, qui non nisi crimina curant,
Ecquis eos dicet, vel sciet esse malos?

LANGRETAE Puellæ.

XLV

Languet amans formosa tuus Langreta Girardus:
Et tuus hoc illi langor, amorq; facit.
Langores valeant, crescant petulanter amores:
Fit: duo stent rebus vis volo verba suis.

In fatuos, & impudentes. Ex Salo. cap.17. XLVI

Iratæ expediat magis occurrisse Leænæ,
Aut vrsæ ablatis fœtibus, atque Lupæ:
Quàm fatuo: dum se iactat, miratur, amatq;
De petulante animo, stulticiáq; sua.

Tertio, peccanti venia non datur. XLVII

Noxia præcipuo prima est laxanda fauore:
Secunda summo iure non tractabitur:
Tertia legitimas expectet noxia pœnas:
Næ qui vitia facit, ad vitia ruat à vitijs.

Sutoris vxorem amãti Ludimagister. XLVIII

Molles Sutoris crepidas dum tangis, & vngis:
Concinno horridulas culorum tegmina pelles.
Vtrius est autem melior fortuna, priorq;,
Ignoro, nisi quod mecum mutare recusas.

Se dissimulatorem eximium esse. XLIX

Dissimulatori fallacia verba Girardo,
Dissimulatores quando dedêre alij?
Si vultu studeant imponere, fraude, doloq;:
Vultum habet, & fraudes, nouit & ille dolos.

Sub sui imagine posuerat. L

Quisquis inaccessi effigiem, corpúsve Girardi
Prospicis, hunc animum te bene nosse putas?

Falleris est Princeps intra, aut quid Principe maius
Philosophi speciem qui famulantis habet.

De Spurijs, ad Amicum. LI

Aut vehementer amo, aut odi vehemẽter (Amice)
Illicito natos semine quosque viros.
Nanq; boni penitus viuũt: penitúsve mali sunt:
Nil medium est illis, nilq; mihi medium est.

Deo OPTI. MAXIM. pro Hæreticis. ex Homer. LII

Filiolos Genitor tanta è caligine Achiuos
Iuppiter (hoc vnum poscimus) eia leues.
Atræ lux tenebræ fiant: obscura serenes:
Et te iterum claris aspiciant oculis.

CRYPHONI, Prouocatio artis. LIII

Impostorum hominum næ tu Vexillifer, & Dux?
O imposturas Grypho, dolósque tuos.
Ast impostori impostor, tu impone Girardo,
Atq; imposturas tollet ad astra tuas.

Eidem Idem. LIIII

Magnus es impostor: fallaci quippè Camillo
Auferre tu palmam queas.
Sed caue vt imponas homini tua in arte magistro
Primario, atq; maximo.

SOMNO παράγγελμα. LV

Pars prior humanæ, melior quoq; portio vitæ,
Corporis, atq; animi paxq;, quiesque mei,
Somne veni istorum victor, domitorq; ue dolorum:
Quos vafra me miserum ferre puella facit.

COLARDO LVI

Si tu scis aliquo sacrosanctam in Codice legem,
Qua habere iudex à se damnatum queat
Actorémve, Reúmve omnino, & semper amicũ.
Dicito ubi sit, Iustinianus tunc eris.

Lectulo suo. De tranquillitate animi amoribus vacui. LVII

Lectule candiduli requies dulcißima vatis,
Sæpe leuans miseræ tædia dura scholæ
Liber es, à querula (sic Dij voluistis) amica.
Quid te dulcius est liberiore? nihil.

DONATO. LVIII

Ecquid amas mihi dic, mihi dic quo more triumphas
Donate: ipse tibi dico triumpho, & amo.
Si verò ecquid amem quæris, quo more triumphem:
Musa triumphus: amor Pallas, Apollo, Deus.

RVSTICO in Vulpionẽ pecuniæ inhiãtem. LIX

Vulpio nil quicquam sibi præter cogitat aurum:
Quàm aurum ac argentũ cogitat ille nihil.
Ecquid agit, loquitúrve? Tuas tibi Rustice caußas:
Verum quæ ille sibi cogitat: ipse vide.

Arca

Arcanum fœminis non committendum.
IOVIS Prosopopœia ad IVNONEM. LX

O Soror, ô coniunx vis me tibi dicere Iuno,
Quæ multa, & ardua cogito?
Cessa: ea nam populo non sunt vulganda loquaci,
Quid fœmina est? Populus loquax.

Lasciuo Seni lætos ignes prohibenti. LXI

Euge Senex: prohibes Sacros accendier ignes,
Atque faces, nati conscia signa Dei.
Incendi potius prohibeto Cypridos ignes,
Atque faces, mortis præuia signa tuæ.

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt. LXII

Per maria, & terras erret facundus Vlysses:
Dum media viuo, rideo, canto, Dola.
Non mutant animos multi dum sydera mutant.
Non ego muto animum, non ego muto polum.

CHRISTO OPTI. MAX. in cephalalgia. LXIII

Huius ego tanto capitis, renúmque dolore
Distrahor hinc, illinc & furibundus agor.
Quòminus vt peccet, si hoc triste, & debile corpus,
Hanc carnem attenuas Christe, recuso nihil.

De coloribus quibus imprimis delectatur. LXIIII

Si rogitas; quare viridi, nigróque colore
Plurimùm & oblector, plurimùm & exhilaror.

Dum mihi dat Natura iocos, Fortuna dolores;
Alma meo regnat Temperies animo.

Pro formoso deformis vxoris marito. LXV

Vxorem duco deformem: Quæ mihi caussa est?
Non facit hoc cæcæ tristior ira Deæ.
Non huc cæcus amor cogit me, auriue cupido.
Quod mea sufficiat forma duobus: Ea est.

CHRISTVM hospitem in hospitio perpetuo retinendum. LXVI

Inuitus festo Galilæam à Paschate Christus
Mittitur: id vulgus iactitat, atq; facit.
Tu contra modò dic, tu contra (si bonus es) fac:
Atque tuo Christus viuat in hospitio.

Ἀκέφαλος γάμος. LXVII

Tum mihi connubio nimiùm, nimiùmq; placebo,
Si mihi sit coniunx, quæ sine sit capite.
Quæ sine sit capite? ò hoc admirabile monstrum:
Vt nulla est, cui non sit caput, atq; caput.

BRVSCAE fœminæ. Viri placatio. LXVIII

Brusca subiratum si vis placare maritum,
Sacras potes domos adire protinus.
Gregorianus exit præsto tibi præsto sacerdos,
Ieiuna iatq; orationes qui locet.

In

In maritum, cuius vxor adultera. LXIX

Ten patiētem hominem, cui viuit adultera Coniunx?
Ten mitem, & vsq; simplicem?
Spes sit, eris Dominus spatiosæ in tempore terræ.
Quæ verba Christi sunt manent.

Impostori. LXX

Si didicisti imposturas, fraudésq;, dolosq;
Præceptore tuo principe Mercurio.
Vtere perpetuo impostura, fraude, dolóq;:
Nam bona sunt superi quæ docuere Dei.

De PRIAPO, & VENERE. LXXI

Frigida ieiuni titillat membra Priapi
Festiua, & blanda voce, manúq; Venus.
Ille ait: Ecce meæ vacuæ sunt sanguine venæ:
Quæ te istuc cogit vena venire Venus?

Auaro, & sordido. LXXII

Hæc da, & tene, duo tibi verba imperent:
Audis vtrum? hoc, an alterum?
Tu das nihil: Quæ autem tenes, tenes bene:
Natura vt est tenax tua.

Dare, DEI esse potentis. Accipere, hominis indigentis. LXXIII

Qui donat, ad Dei optimi
Potentiam, qui autem accipit

Ad hominis indigentiam
Accedit ille proximè.

Fœneratori, Præcautio LXXIIII

Si capis omnia, paßim, & ab oĩbus, ut nihil usquam
Effugisse tuas poßit Auare manus.
Non capiere unquam, capiâre nisi capiendo.
Si sapis hîc à me ne capiâre, caue.

Fœminæ PROSERPINAE. LXXV

Ecquod in infernis odiosa Proserpina terris,
Præcipuum exerces munus, & officium?
Damnatas animas, damnatáque corpora uexas
Acribus, & duris dentibus, & manibus.

Lenoni, Resipiens Amator. LXXVI

Teq́ tuáq́ domo infæliciter hactenus usus:
Effugio posthac teq́, tuámque domum.
Sic ego desipui, sapiens sic denique fio,
Qui sapit in medijs (sat sapit ille) malis.

Nihil danti, nihil dandum. LXXVII

Conspectu Domini non apparebis inanis,
Et uacuus, docuit maximus hæc Dominus.
Et uenisti istuc uacua omni munere dextra.
Ecquid erit? uacuas en tibi monstro manus.

Paruæ staturæ hominem non esse idoneum reip. administrandæ. LXXVIII

Quantũcunq́ place t, quæ in paruo est corpore Virtus:
Grata & sit ut uis paruitas.

Hoc

Hoc semper verum est, homo paruus inutilis idẽ est
Rei gerendæ publicæ.

Inconstanti homini. LXXIX

Nuper fecisti, quod rumpis protinus: & quod
Nuper rupisti, protinus hoc reficis.
Sic nihil appares aliud quàm Simia nobis:
Quæ simili se agitat mente, pariq; modo.

Super edicto. De radendis Barbis. LXXX

Barbatos quos prima viros natura crearat,
Imberbes fortuna facit: Quas illa Puellas
Fecerat imberbes, barbatas hæc iubet esse.
Hoc est nimirum quam docto viuimus æuo.

Monitori familiari APOLOGESIS. LXXXI

Consultor quoties: doctorum quæro virorum
Consilium, iudex iudiciúmque peto.
Hoc me sæpe rogas: Quando sine cortice nabis?
Dic mihi tu: solus num satis ipse sapis?

In quendam EPISCOPVM. LXXXII

Quærunt cur adeò hic aspiret Episcopus esse,
Habere sed curam sui nolit gregis:
Quæstio tantũ vrgens, quantum est responsio prõpta:
Honor per aspirationem est, non onus.

De Sacerdotum cœlibatu. LXXXIII

Nulla sacerdotes castratos lex iubet esse,
Vt Gallos Cybeles scripta fuisse ferunt.

Cur igitur viuunt agami? num scilicet, ipsis
Vt liceat coitu liberiore frui?
Non, absit. sed in hoc exemplum imitantur Iesu.
Quod dat consilium Paulus Apostolicum.

GINARELDO. LXXXIIII

Quantuncunq; animo vigili, sapientéq; lingua
Inter pragmaticos sis Ginarelde vnos:
Vnum te moneo, in praxi tibi quod fiet vsu:
Quam decet, esse animo callidiore, malum est.

In Caussidicum, LXXXV

Quidam Caussidicus sic se iactabat apud me
Nullã quod vsqua caussam ab annis plus decem
Perdiderit: Verum (quantum considero) dixit:
Caussam qui ab annis plus decem egit vnicam,

De seipso. LXXXVI

Contigerit quamuis claro me sanguine nasci,
Nulli prorsum homini cognitus hic lateo.
Cur ita? si veram cupias cognoscere caussam:
Non mihi signũ vllũ est, & mihi nulla nota est,

CATHARINAE filiæ suæ. OCVLVS INDEX ANIMI. LXXXVII

Si tu tam studeas præclaris moribus esse
Filia, quam pulchro diceris esse oculo.
Hoc satis est: qualem cupies, potiere marito:
Excipiet multos ianua nostra Procos.

BRITONI Agnitio beneficij. LXXXVIII

Acceptum cui tu debésq;,refersq́ue magistro
Quod bonus, & vigilans sis Brito pragmaticus?
Cui,nisi Regnardo socero.debesq;,refersq;,
Quem mihi commendat,quem sibi Praxis amat?

Ex HESIODO Κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν LXXXIX

Vtile non fuerit lucrum mihi qualibet ex re,
Qualibet ex re alijs sit bonus huius odor.
Quin me apud hæc semper steterit sententia:quod si
Turpia lucra facis,tu tibi damna facis.

De PRAGMATICIS ASSONIENSIBVS Iudicium. XC

Vis de pragmaticis Assoniensibus
Audire ecquid ego sentio,iudico?
Illos nempe viros simpliciter bonos,
Sed qui dant inopi nihil.

Ad superbum imago sui. XCI

Quando te video planè ignorare quid hic sis:
Si bene diuinas,nonne eris id, quod eras?
Sed quid eras,& eris?nimirum puluis,& vmbra:
Ex his quid iam sis,te puto scire satis.

RIVVLO suo XCII

Si diuisibilis tua res est Riuule Coniunx,
Contentus media viuere parte potes.

Nil durum caput hoc, molles nil deniq; mammæ,
Ventre ea te quæ sunt inferiora iuuant.

Amico de conditione sua percontanti. XCIII

Hìc omni populo vulgata paræmia fertur:
Non est is fœlix Coniuge, quisquis equo est.
Quærenti tibi qui sim fœlix coniuge? dico
Sum celeri felix, atq; beatus equo.

Inimico ex PAVLO. XCIIII

Cùm te poplitibus, pileo, mento, ore saluto,
Cùm te ad conuictum conuoco, & hospitium:
Scis quid ego faciam? si quid sentis-ve vidés-ve:
In te carbones congero, & ignem agito.

FVRNARIO. XCV

Nulla nisi in magno piscatio flumine magna est:
In ore semper est tibi hoc prouerbium.
Ista frequens itidem mihi in ore paræmia certa est.
Immixta tot bona tot malis non sunt bona.

N. BELLONI. XCVI

Dolanæ honor Bellon scholæ
Me certè (amore si tuo
Sum dignus) vltro diliges:
Calcare nullo habes opus.

LAMBERTO. XCVII

Exclamas mihi: doctus es Poëta
Exclamo tibi: doctus es Poëta,

Sic sponte, & propriè tibi repono:
Quod sponte, & propriè mihi reponis.

De suis Epigrammatωn Centuriis. XCVIII

Si quæris cur scribo iocos, Epigrammata, nugas,
Cum possem vtilius iura, forumq; sequi.
Aßoniense meum caußis vacat ecce tribunal:
Quid facerem? hoc facio, ne nihil hîc faciam.

REGI inter pocula. XCIX

Te Regem (qui hodie dialis es Rex)
Visne hoc vt medio vocem theatro?
Adferri omne genus iubeto vina,
Dein multum bibe, te vocabo Regem.

SERENO Lectio præcedat iudicium. C

Inciuile quidem est (Serene) tota
Perspecta nisi lege iudicare.
Inciuilis homo es: mei libelli.
Vis iudex prius esse, quàm esse Lector?

EPIGRAMMATΩN CENTVRIAE SECVNDAE FINIS.

Noua quadam inſtructione aciei compoſiti prodeunt aliquot Pedites: qui procedentium Centuriarum latera claudunt.

ANGLO diſcipulo.

Tu qui nouum florem mihi
Das Angle, vis me par pari
Me (inquam) Poëtam reddere?
Habe tibi hoc carmen nouum.
Ama ſimul me, & litteras.

Bono homini cuius vxor adultera.

Heus tu Catellum hunc aſpice,
Quàm dignus eſt, quàm dignus eſt,
Qui gratioſæ pellici
Ablandiatur cuipiam:
Tuæ quis vxori hunc dedit?

In eandem adulteram.

Mulieris iſtius ſuper
Maliciam alia non Hercule eſt
Malicia: cuius tam bonus
Eſt vir, melior vt vix Deus:
Patitur vterque enim omnia.

Voti

Voti in amore sui compos. IIII


Festus næ ista dies mihi,
Quo Fortuna meis est in amoribus
Fœlix? huc Venus, huc Puer:
Hic bacchabor ego dulcius, & bonum,
Et suaue est furere hic mihi.

Cappusio. V

Expertus celeres Amoris iras,
Cappusi an facere, & pati vetas me
Quæ ille ille imperiosus imperauit?
Tu præcepta potes Dei potentis
Cum magno nisi præterire damno?

In Vulpem. VI

Ad vulpem, ad vulpem vicinia tota reclamat:
Ad vulpẽ, ad vulpẽ sonat Assona rauca sed heu vos
Heu venatores, toties qui retia frustra
Tenditis: & quorum casses deridet, & astus
Annosæ nimium fallax fallacia Vulpis.



IOANNIS GIRARDI DIVIONENSIS APVD ASSONAM DICASTAE

EPIGRAMMATΩN
Centuria tertia.

IO. BEGATIO CENTVRIONI TERTIO.



N ME Burgundum quem auditq́ videtq́ Poetam
Incõsulta suos Inuidia urget equos
Ergo tibi hanc hodie armata committo Phalangem.
Tertius ut mihi sis ordine Centurio.
Macte Begati animo, feret & stipendia de me,
Quanta tuus volet, & qualiacunque labor.

Quare malit carmen, quàm de iure scribere. 11

Vtilius poßum de nostro scribere iure,
Quàm de Pieria dicere carmen aqua.

Delecta

Delectabilius possum componere carmen.
Quàm mea legitimo reddere iura foro.
Me vt moueat sacra vtilitas, atq; cupido:
Quæ me delectant, me magis illa mouent.

In hominem belluam de suo
DELPHINO. III

Cunctorum meus est hominum Delphinus amator:
Atq; vicissim omnes hunc redamant homines.
Ergo meo quid tu Delphino detrahis vnus?
Cur te Delphinus non amat ipse meus?
In promptu caussa est: homo non es; bellua certè es,
Bellua quæ longas arrigit auriculas.

DEVCALION, & PYRRHA super eodem Delphino
suo Noua nouem Sororũ metamorphosi. IIII

Dura nouem vt vidit versas in saxa Sorores,
Magna suo cæpit dicere Pyrrha viro.
Mi vir amice parum est solidos euoluere montes,
Post terga hæc nisi nos saxa nouem iacimus.
His ille: hoc tecum desidero Pyrrha: sed obstat
Nequitia vnius, barbariesq; Midæ.

Superbo.

Si sumus ex illis quibus enutrimur (vt aiunt)
Cum Medicis Physici, cum Physicis Medici,
Vt tibi sim stercus, si dè me stercore viuis,
Non ea me fallit regula, stercus eris.

Sic ego te dicam factum de stercore stercus,
Stercus simplice me stercore fœtidius.

A VLO amico. VI

Seu mihi sis socius, mihi seu sis Aule minister,
Sim ve à consilijs, à pedibus ve tuus.
Dum viuam: reget atq; meos dum spiritus artus:
Non erit alterius, quàm tuus hic animus.
Ergo tui vnius fidei confide Girardi:
Qui tuo ab ore, tuo pendet & arbitrio.

PINGOTIO. VII

Si tu magna meæ vis scire negotia Musæ:
Quærit negotia ista tibi:
Nempe mihi vt pingas tua Pingoti otia, & illa,
Potißimùm quæ te beant.
Pinge tuæ hæc fuerint si magna negotia Musæ:
Ea Musæ erunt meæ otia.

De seipso fœliciter fœlicibus D. FELICIS auspicijs facto Iuris vtriusque Doctore. VIII

Diuo festus honor Fœlici dicitur, & fit:
Et annus est studij mei ipse hic septimus:
Quo summo iure in Iure hîc ego Doctor vtroq;
Fio, atq; in omnes disputo.
His mihi principijs quàm sunt fœlicia iura,
Fœlix Deus sit in omnibus

Matri

Matrimonium pacificum PARADISVM, Rixarũm verò plenum PLVTONIS domum esse. IX

Cui noua iamprimùm sub velo ducitur vxor
Cogitet & lumen, cogitet & tenebras.
Nam qui habet æternam placida cũ coniuge pacem,
Is paradisiacis dicitur esse locis.
Atqui habet æternum querula cum coniuge bellum,
Illum ego vel media viuere dico styge.

Nobili non nobili. X

Gentilem magna genitum te gente putamus:
Gens tua Brutorũ est: gens ea magna quidẽ est.
Nobilis es: magno genitum quem sanguine scimus:
Es siquidem magno de Boue Bos genitus.
Quòd si de te alij, atq; alij nascantur ab illis,
Multa laborandis Gens tua crescet agris.

Tacere, & loqui. XI

Loqui, & Tacere in tempore:
Vtrunq; pariter efficax:
Vtrunque pariter difficile:
Vtrunque non nisi bene
Sapiens potest: Sed alterum
Tacere nempe quilibet.

Salutem ex inimicis. XII

Ex inimicorum, quæ turba est parua, meorum
Porto laborem, & tædium.

Contra ab Amicorum quæ turba est magna meorum,
Porto quietem, & otium.
Vtcunq; hæc, ipsam ex inimicis quæro salutem,
Et de manu qui odêre me.

ASSONIENSI DEMAGOGO. XIII

Ostendit quàm res magnas incœperis annus,
Quo commißa tibi publica caußa fuit.
Citro, vltro magnas agitarier audio lites:
Et tribus ad Regem ter, quater itur equis.
His gestis magna est consumpta pecunia rebus:
Hoc ideo magnas res ego dico tuas.

Amico tristi, & lachrymabundo. XIIII

Quid facias? est ista tui natura Girardi
Iucunda, amica, & efficax.
Vt se perpetuis dedat salibusq;, iocisq;,
Vt lusitet, & vt rideat.
Quare illum posthac nusquam tibi quære sodalem,
Plorare si semper voles.

Captatori Auaro. XV

Dico tene quoties, tu latas arrigis aures:
Da, si dico, graues deprimis auriculas.
Quantum conijcio, nosti ciuilia iura:
Sed tu ciuili non potes esse manu.
Ciuili illius potior qui poßidet est sors
Iure: Et ciuile est velle aliquando dare.

Te

Tempori seruiendum. XVI

Diuitias vtcunque volet contemnat, apud se
Qui sapit, & dominus dicitur esse sui:
Si tamen is vitam, si quærit habere quietem:
Vnum habeo simplex, & breue consilium.
Nempe animos locupletũ hominũ, procerũq; fauores
Captet: Fortunæ seruiat atq; Deæ.

GANETIO Affinitas. bonorum Fœlicitas. XVII

Esse Ganeti te puto àb omni parte beatum:
Sed mihi dic, qua tu te magè parte putas?
Comperio tandem, mecum & concludo libenter,
Quæ meus in me eadem sentit amicus Hymen:
Non te tam ingenij (quanquã magnæ vndiq; dotes)
Fœlicem, fœlix quàm facit esse socer.

In huius temporis peruersitatem. XVIII

Indocti, Doctis hac tempestate priores:
Præfertur celeri tardus asellus equo.
Vili vilior est alga Virtutis amator:
Primo nequitia est, & mala vita loco.
Sum indoctus nisi iam clamo, ac nequißimus vnus:
O mores, ô hæc tempora, fata, Deus.

De seipso. XIX

Vnusquisque potest deiecta abscindere ramos
Arbore (quod dicunt) in me ego en experior.
Nam mihi dum ex ima nuper radice reuulsit
Diuitias mala Sors, paupériémque dedit.

Qui mea iura meas mihi res abducit, & aufert;
Hunc omnes dicunt iure suo facere.

RIGNERO. XX

Mentiar hîc doctum tete Rignere Poëtam,
Ignauum si me dixeris esse caput.
Inter nos hæc ut maneant, vox ista manebit:
Si me non curas, te quoq; curo nihil.
Ad reliquum, vis falce meos tondere capillos?
Tondebo ipse tuos protinus ense pilos.

Auditur locuples, exibilatur inops.

Ad MECOENATEM. XXI

Quî fit, Mecœnas argento ut diues, & auro
Si loquitur, quæuis irrita sit ratio?
Qui fit &, ut lacero, viliq; indutus amictu
Si loquitur, nemo non strepat, atque sonet?
Virtus argento, virtus postponitur auro,
Tam videas mores omnibus esse malos.

REGINARDO. XXII

Esto, operã, atq; oleum nõ perdo: Epigrãmata scribo:
Et armo, & ordino phalanges has meas.
Hoc tamen ut verum sit, me facere ista putato
Non usquequaq; commodè, & suauiter.
Ecce vide Regnarde mihi quæ incommoda, quásve
Curas reponat, hisq; me implicat Assona.

MERCARIAE Puellæ. XXIII

Vende mihi mea vita tuam Mercaria mercem
Cuius mercator ni fuero, peream.

Nunquam me dices inimicis parcere nummis:
Impendam cunctas (dum mea fiat) opes.
Sed quæso, quæ merx est hæc Mercaria? merx est
Ora, manus, humeri, gratia, lingua, oculi.

GIRARDO Patrueli. XXIIII

Aßona ciuiles tibi iam componit honores,
Te Populus noctes cogitat, atq; dies.
Venisti huc tandem: appositis conuiuia mensis
Fiunt: fit tota publicus vrbe iocus.
Hoc vt sit frater, certum hîc vis viuere mensem?
De te omnes dicent, Nouimus hunc, satis est.

LEGISTAE XXV

Despicis obtorto diuinos ore Poëtas:
Atq; vnco rides diuina poëmata naso.
Cur ita? non opus est nobis inquirere caussas:
Nil aliud quàm Legista es, iurisq; peritus,
Qui quæ sunt hominum curas, non iura Deorum.
Et quis homo eße queat Legista, simúlque Poeta?

Seni scholastico & auditori. XXVI

Puluerulenta tuum desiccat pergula guttur
Vsq; & adhuc: Pueros gymnasij comedes?
Ten' triginta annos raucis hæsiße magistris,
Et ferulæ tremulas suppofuiße manus?
Ergo focum tibi verte, tibi quoq; verre caminum,
Et tua deinde tuo luceat igne domus.

D. ANTONIO HEMIPUNTANO XXVII

Mißum à te nuper totq́; inter, tantaq́; munus
Quo mihi quo illud erit gratius vsq́; loco?
Vendicat ecce locum sibi pridem iure secundum:
Primò quod mittes primum ego seruo locum.
Illud Musarum, & study mihi fecit amorem:
Calcar erit Musis hoc, studÿsq́ue meis.

Hominum naturam ad reprehendendum, quàm ad laudandum proniorem. XXVIII

Hoc mundo si vsquam quis quid male fecerit, illud
Omnes loquuntur, & notant.
Hoc mundo si vsquam quis quid bene fecerit, illud
Omnes tacent, & negligunt.
Pronior vsq́; adeò mala culpet, quàm bona laudet.
Natura gentium omnium.

De Fortunæ suæ mutatione. XXIX

Pauper eram iuuenis: nuper vir factus, abundo
Diuitÿs: mihi sors vtraque pulchra placet.
Instabilis Fortuna vices rursum alterat: & me
Torqueri damnis, pauperiéque iubet.
Imò tuæ Fortuna rotæ fastigia prendo:
Te & quantum possum, crinibus arripio.

D. A. HEMIPONTANO. XXX

Commendare viro si cui (vir clare) Girardum
Vis, tibi commenda, nam volet esse tuus.

Quid

Quid te humanius est? quid te atq; benignius usquam
Qui verè, & propriè sis Pietas, & Amor. (est?
Ergo subinde tuum Populo dic me esse Poëtam:
Te Populo Dominum dico subinde meum.

De sua apathia. XXXI

Duricia superare feras, chalibemq;, petramq;
Possum, fœmineum durus in omne genus.
Frustra in me exacuit petulans sua tela Cupido:
In me frustra etiam se, Venerémq; mouet.
At vereor, quia gutta cauat chalibemq; petramq;,
Ne mea tantipotens molliat ossa Deus.

POETIS amicis apud POLYMNIVM
Mense Maio. XXXII

Hoc Maio ecce virent, & florent arbor, & herba
Et rident folia, & subsiliunt violæ.
Deniq; tota suos ostentat Terra triumphos:
Tota suos loquitur Terra, facitq; iocos.
Vos verò voce vna omnes cantate Poetæ,
Hæc quæ Caprino gaudia canto in agro.

De Faceto, & amico socio. XXXIII

Quidam inter socios facetus omnes
Syncerus mihi parte ab omni amicus
Pulchram consequitur feram: ferire
Quam tandem rigido subinde telo
Cœpit: Læsa fera est: fera hæc Puella est:
(Per te scire potes) tacebo telum.

CIFFLETIO. XXXIIII

Si lanugine de mea tenella,
Quæ vna nocte meum beare mentum
Cœpit, displiceam tibi, tuisq́:
Non curo, modò sim meis Puellis
Multò gratior, & venustior, quàm
Cùm essem imberbis, & impotens ad arma.

Præsentium fruitio, futurorum Amelia. XXXV

Quid, quod ego in lachrymis primos produco Decēbres
Forsan erit varijs plena senecta iocis.
Quid, quod ego iuuenis pauper sum fabula plebis?
Fortè Senex factus diues ero in precio.
Sors vtcunq́ cadat, duntaxat curo diei
Quæ fuit præsentis: cætera mando Ioui.

Super discessu suo à patria, & puella. XXXVI

Discedo à patria, dexter mihi saltat ocellus:
Hæc rabido doctos impetit ore viros.
Abstrahor à Domina, læuus mihi plorat ocellus:
Hæc mihi verba facit, mella mihi illa facit.
Hoc quoties volui, toties Venus vna negauit:
Illud persuasit Pallas, Apollo iubet.

C. Virginis raptori. XXXVII

Deus est Cupido, Dea est Venus
Vis vtriusq́ præpotens
Dea, aut Deus si te impulit

Ad comprimendum virginem,
Et dicis hoc fecisse te
Vi, veritas in ore tuo est.

De seipso, veterum amicorum memoria XXXVIII

Addictum studijs legalibus, atque sacratum
Me me Pontificum iuribus vt videas:
Effluxisse diem vel inaniter arbitror illum,
Quo non Permessi flumina viso mei.
Sic dum quaro nouos mihi quos adscisco sodales,
Non possum veterum non meminisse satis.

CVPPINO. XXXIX

Dum tu totus eras Basauda insanus amore,
Risimus vsq; tuam, risimus vsq; vicem.
Me quia amor pulchra cœpit vexare Caleta
Lasciuis oculis, & petulante manu:
Materiam risus tibi do: ridere vicissim
Hanc potes ipse meam tu quoq; iure vicem.

BRITANNO XL

Amare quòd Britanne me mea incipit
Caleta, rumperis, cales, & æstuas.
Solare sed te. Si nouus Amator venit,
Expecto idem, vel peius hoc, quod tu pateris.
Sic se se habent miserûm vices amantium
Inter puellas Aeolo plus mobiles.

Inopes Poetæ, muti. XLI

Desine mirari mutos hoc tempore Cygnos:
Quo flant occluso tot Boreæ Zephyro.
Desine mirari mutos hoc tempore Vates:
Quo Mecœnatem viuere non video.
Nulla ego iampridem compono, aut carmina canto
Vox, calamus, nummi deperiêre mei.

Veras diuitias à DEO dari. XLII

Vis diues, Crœso fieri vis ditior ipso?
(Vulgo aiunt) summo verte humeros Domino.
Vis pauper, nudo fieri vis nudior Iro?
(Vulgo aiunt) summo proximus esto Deo.
Sit procul hæc, procul hæc fallacis opinio vulgi:
Nam Deus est, veras qui dare nouit opes.

Suspiriorum ablegatio. XLIII

Si iam ire, atque adeò ingredi quo amores
Inclinant liceat mihi, tacite
O suspiria: Non licet, volate
Ergo, atque ite meæ domum Caletæ:
Quo desiderio ardeat, videte: &
Quid rerum faciat, renunciate.

In Nebulonem amicitiæ simulatorem. XLIIII

Nosti hominem capite aurito, paruo, atq; rotundo,
Vnica cui sani mica sit haud cerebri?
Panes ostentat dextra, occultatq; sinistra
Saxa manu: atque homines decipit, atque Deos.

Quan

Quantumuis Stygij metuenda Satellitis antra,
Si Nebulo tibi non displicet ille, placent.

Blateroni. XLV

Effœminate, sis Sabœus, aut Arabs.
Quantum libet fragres amomo, & cæteris
Odoribus, tuum tamen tam fœtidum
Os, nunquam olebit suauiter: tum quod tibi
Dens: vermibus corroditur: sed maximè
Quod lingua sit tibi loquax, & pertinax.

D. G. VIONAEO. XLVI

Magna tua officia, & studia in me sunt tua magna.
Nullum vt sit studium in te, officiúmue meum.
Tale tuæ virtutis opus mihi me rapit ad se:
Scilicet in medio pectore viuo tuo.
Pectore viuo tuo: æternos quod fiet in annos:
Hæc vetat vsque adeò te mea Musa mori.

De FALCAEO Axiosis. XLVII

Si quisquam Nebulo impudens puellæ
Dignum connubio meum negarit
Falcæum: Nebulo ille dignus ipse est,
Nubat Canidia, aut Sagana cui.
Vel cui abscindere debeat veretrum,
Quin & testiculos Deus Cupido.

BYRRIAE percontatori Aenigmaticõs. XLVIII

Sum tibi Democritus: fio Heraclitus amicis:
Sumq́ue alijs Dæmon: mox mihi fio Deus.

Nunc oculi rident:nunc fletu lumina turgent:
Pœnas pendo malis:præmia pendo bonis.
Hæc facio clausa Musis præsentibus æde:
Hæc præter de me Byrria quære nihil.

In CVPIDINEM Plusquam Herculana Amoris victoria. XLIX

Si magnus spolium Leonis, atq;
Clauam seposuit, siue vt placeret
Alcides Dominæ, potens Cupido
Nusquam vnquam calamum libros, papyrum
Vt me cunq; præmant Calete amores
Victus seposui, impotens Cupido.

CL. IOFFRIOTIO. L

Heus tu Claudi, audi, qua me ratione Poëtam
Cæcum cæcus Amor fecerit, atq; facit.
Fulgens stella mihi, mihi fulgens Villea luna est:
Quam mea si videant lumina, cæcutiant.
Sic me cæcus Amor fecit cæcum esse Poëtam,
Perstringitq; meos, obtenebratq; oculos.

In magnificum Pollicitatorem. LI

Quot bonus Aeneam cyathis onerarat Acestes,
Tot me pollicitis obruit vnus homo.
Hæc si præstiterit, memorem me dicet amicum:
Sin minus, hoc quod ait vulgus, in ore habeo:
Rumpe nuces, cuicunq; nuces tua in arbore pendent:
Nulla mihi nux est:nullam ego rumpo nucem.

Ianui

Ianuino Regi inter pocula. LII

Rex es, Rex hodie es nobis Ianuine Poetis.
Sed tibi qua regnum sorte, diale quidem est.
Regius imò adeò es virtute, æquoq́, bonoq́
Dignus vt æterno sis magis imperio.
Nostrum ideo dum hodie Regem Fortuna Dialem
Te facit, æternum vult Deus esse ducem.

De sua Parrhesia LIII

Nostra bonos, eadémq́ malos habet Assona Ciues.
Nunc loquor ipse bonis, nunc loquor ipse malis.
Sed quia pars hominũ magis est numerosa malorũ,
Plus loquor ipse malis, quàm loquor ipse bonis.
Atq́ adeò celeri noto, punio crimina pluma:
Et mihi tam lingua est libera, quàm iuuenis.

Pessimus maritus Cascæ pessimæ vxoris marito. LIIII

Casca nouos vtinam capiat tua fœmina vultus,
Et quæ carnea sit, cerea fiat anus.
Hoc facto angelicã mea mox volet Vxor in aulam:
Et tua sit subitis lumen in exequijs.
Hoc ideo, videor quia pessimus esse maritus:
Pessima & hoc ideo fœmina quod tua sit.

De seipso LV

Quas odi Musas, Musæ me odere vicissim.
Perpetuos fugio totum Helicona dies,
Quid caussæ est? non hoc auri scelerata cupido,

Non facit hoc Veneris flamma, quid ergo? nihil.
Quid nihil hoc sit adhuc (si non intelligis) audi:
Totus inops habeo, poßideoq; nihil.

MECOENATI. LVI

Nusquam læticias, nusquam simulabo dolores:
Vt mea Fortuna est, sic meus est animus.
Langueo, plango, gemo, duco suspiria, ploro.
Si quæ habeam quæras, hoc ego dico, nihil.
Hoc nihil est, quod me fecit nullumq;, nihilq;:
At tu Mecœnas, ô bone, fac me aliquid.

De sua in ærumnis impatientia. LVII

Me miseram, atque adeò longam producere vitam?
O nimium duram te mihi Pauperiem?
Vah? certè viuo omnium homo stultißimus, vt qui
Me miserum clamo, me miserum facio,
Et sic omnium homo contendo miserrimus esse:
Qui nequeo ærumnas occuluiße meas.

Sympotis. LVIII

Qui bona vina bibit, sua sursum cornua tollit,
Et summi æthérea quæ fiunt Regis in aula,
Scilicet angelicos auditq;, videtq; triumphos.
O vos ergo mei bona vina bibamus Amici:
Mox leuibus sublimẽ oculis penetremus Olympum:
Et medio breuiter quæramus gaudia cælo.

Puellæ

Puellæ suæ. LIX

Me tuus ut vidit flammas accendit ocellus
Puella; quas in me moues, & ventilas.
Longa meas tandem mora iam mihi suscitat iras:
Et quis semel nolit mori, quam septies?
Ecce habeo in prõptu(si me amplius vris, & vrges)
Suauium suaues aquarum guttulas.

In superstitiosum consuetudinis abrogatorem festo INNOCENTIVM die. LX

Sacra hodie admittunt solemnia gaudia leges,
Communiq; ioco, leticiaq; fauent.
Tu tamen hic prohibes lætos ridere Poëtas,
Innocuásq; pia verrere luce nates.
Dic mihi verum: illa ut taceant ciuilia iura
Consuetudo quid est? ipsa profecto valet.

BOMBAEO. LXI

Ne Bombæe tuo mea carmine carmina poscis?
O vana ex stolido vota supercilio:
Tu caue in æternum tentes Dominúmq; Deúmq;
Si velit is, panes fecerit ex lapide.
Hæc ego sub paucis mitto ad te carmina verbis:
Et iubeo, vt serues, non vt opes, sed apes.

De seipso. LXII

Si quando argento careo, fuluóq; metallo,
Sum piscibus mutus magis.

Contrà, si argento, fuluóq crumena metallo
Mea mihi abundet: Di boni,
Quàm magno audaces formo, & facio impete voces
Facetus vsq, & eloquens.

Hero cuidam suo. LXIII

O mihi despectum vdti, inuisúmq laborem:
O vincla mercenaria
Turpes, & vetitas exerces Cypridis artes,
Vt mundus omnis adsolet.
Seruitio addictus fœdo, nimiúmq salaci
Asellum ego duco miser.

Fatum potens LXIIII

Aeterni magna est, & longa potentia fati:
Cui Deus & regnum fecit, & imperium.
Seu bona, seu mala sint (docet experientia) fata
Prætereunt, nullum prætereunt hominem:
Ergo tuam compone suo tibi tempore mentem:
Teq parato bonis, teque parato malis.

TYROTIO, paraclesis amoris. LXV

Læsa cupidineis tua sunt præcordia telis:
Hinc lachrymæ, hinc læsi pectoris ira tui.
Si tibi non alienum à sana mente cerebrum est:
Si tibi non vacuum est & ratione caput:
Fac patienter ames: tibi nulla iniuria facta est.
Cui cedit Mauors, huic quoq cede Deo.

Inuitatio ad matutinam sacrarum literarum præłectionem. LXVI

Apponam plena tibi cras ientacula mensa,
Cum sole manè ad me venire si velis.
Et vino ambrosia, & (si nescis) nectare vino:
Et simplici verbo, & beato Spiritu.
Surge, veni: medius conuiua sedebit Iesus:
Tuus tibi à potu minister ero, & cibo.

Victus hominum, corruptio, non vita. LXVII

Dulcia iam taceant, nostri figmenta Poëtæ
Nectareos haustus, ambrosiasq́ dapes.
Nulla est in cœlo potusq́, cibiq́ voluptas:
Nil comedunt superi Di, nihil atque bibunt.
Hinc incorporei illi, immortalesque vocantur:
Hinc ἀπαθεῖς viuunt. Fex homo vita tua est.

Postridie MARTINALIVM scribebat. LXVIII

Ebria festiui celebrarunt orgia Bacchi
Ore, manu, Iuuenes pectore, ventre, pede.
Res, & cum rebus se tempus, & hora gubernant.
Iam sua Præceptor sceptra subinde quatit.
O minus integros (lacrmeto iudice) nasos:
O nares & cum naribus addo nates.

Mensæ suæ adscripserat. LXIX

Asperius fiat mordaci nectar aceto:
In dura ambrosiæ degenerent olera.

Crudum conturbet ventrem, stomachúmq; supinet
Nausea, moxq́; grauem prouocet ad vomitum.
Tu mea deinde meum testabere Musa dolorem,
Si vacet hæc docto mensa sodalitio.

Delectus, & optio vini. LXX

Nescis œnophilo placeant quæ vina Poetæ,
Quando castalias linquit, & odit aquas?
Nomine delectent aures, oculosq; colore,
Sintq́; rosæ geminis naribus, & violæ.
Deniq; qui reuocat tristes in carmina Musas,
Dulcia nectareus leniat ora sapor.

De seipso, suarúmque rerum conditione. LXXI

Iuppiter ore fremit, sua sceptra sub æthere vibrat,
Contrahit in pluuias quæ nubila cogat: & imbres,
Excitat in rabiem ventos, quatit atque procellas,
Obtenebrat terras, atra caligine pontum
Denigrat, & tota noctem commiscet Olympo.
Est facies rerum facies est ista mearum.

Scholasticum certamen adgredienti. LXXII

Audi, stentareis Troes clamoribus ibant
Ibant horriferis in fera bella tubis.
At sua summissis capiebant vocibus arma
Acrius argolici, cautius atque viri.
Quisquis ad ingenij studijq́; pericula venit,
Est operæpretium viderit illa, vides?

Mediocria optima. LXXIII.

Tanta meis olim concessa potentia fatis,
Vt me quo cupiant fortiter illa trahant.
Si bona sunt, pedicis me stringit dia voluptas:
Si mala: magnanimus concutit ossa dolor:
Imò mihi reliquis mediocria quæro diebus:
Diuitias nolo: Pauperiem fugio.

TITO. LXXIIII.

Si niue me alba suum peteret Galathea Poëtam:
Spargeret aut liquidus si me Amaryllis aquis.
O Tite nascentes medijs vel in oßibus ignes
Suspicerem, incensas prospicerémque faces.
Non mea ego gelida stridere epigrāmata canna:
Sed caneret flammas suauis arundo meas.

PANAETIO LXXV

Iuno opibus, Venus illicijs, & amore superbit.
Ingenio Pallas pollet, & eloquio.
Nemo tribus placuit, placuit quoque nemo duabus:
Vnam Panæti delige, cui placeas.
Nil tibi cum Cypri, nil cum Iunone negoti.
Quòd si solam ambis Pallada, laudo, & amo.

Super CAESARIS aduentu in Franciā. LXXVI

Per Gallum nigras euentilat aëra pennas,
Omnia & in Gallo præteruolat oppida campo
Magna Aquila. at nullos habeas ô Galle timores.

Angluin si cælo, terráque, maríque Draconem
Vincere vis, victórque virûm volitare per ora
Illa tibi exacuit rostrum, tibi præparat vngues.

CAESARI AQVILAE LXXVII

Anglum dum Gallus tentat superare Draconem:
Et Maria, & totum findat tuus vnguis Olympum
O Aquila: & infra vlterius, supráque volato.
Illæ aliæ fient tua multa, & opima volucres
Prædæ suo tuus id (si nescis) tempore curat
Iuppiter illustres, ego vero expecto triumphos.

Ludimagistri miseri. LXXVIII

O infælices ludi miserósque Magistros:
Quos dura retinent pulpita blandiciæ
Dum misero tabent, infæliciq́ue senescunt
Puluere, mercedem soluere nemo velit.
O patrum ingratam, matrúmque hoc tēpore turbam:
O hoc ingratos tempore discipulos.

CL. IVLIO GALENO. LXXIX

His Iani quid vis tibi me donare Calendis,
O plenum veræ pectus amicitiæ?
Aurum, atque argentum non est mihi: tota supellex
Emicat in chartis, carmen, & hic animus.
Hoc, quodcunque habeo tibi dono: hoc carmen habeto,
A me, atq; hūc hoc cum carmine habeto animum.

CVPIDINI Cæco, & nudo puero Ludimagister. LXXX

Tu

Tu qui ad me ludi properas reuolare Magistrum,
Næ minus ac nunquam cæce Cupido vides?
Si soleo petulantes castigare puellos:
Heus fuge sceptrigeras parue Cupido manus.
Quin mihi si inuisa quicquam insidiabere flamma,
Ecce tibi ferulas nude Cupido meas.

GENTIANO HERVETIO. LXXXI

Te domus à Balma clarum facit esse Poëtam
Hoc gratulare ipsum tibi:
Et mihi scribe nouos tandémq; emitte libellos
Hoc Gentiane tempore:
Argumentum ingens tibi nasciur, ô mihi tecum
Si viuere liceat semel.

POLYMNIENSIBVS CANONICIS. LXXXII

Nulla frequens vrbs est (vulgo verè audio dici)
Oppidulum nullum, deniq; nulla domus.
Nullus præterea parte est perfectus ab omni
Cœtus, si stulto deficit ille suo.
Lysonum inter vos cur admittatis Amici,
Quæritur: at cessent quærere caussa data est.

VIRTVS APPETENDA EX GRÆCO PAVL. SILENT. LXXXIII

Non te fœlices attollant temporis auræ:
Nulla grauet mentem sollicitudo tuam.
Omnis enim instabili vita hæc exponitur Euro,
Plena dolorificis vndiq; vita malis.
Firma tibi virtus cymba: hanc ascende libenter,
Et vitæ dubias non trepidabis aquas.

De duobus maritis zelotypis. LXXXIIII

Zelotypus quidam est casta de vxore maritus:
De lasciua alter coniuge Zelotypus.
Huius, an illius melior fortuna, priorq́?
Si quid es expertus, scire profectò potes.
Plus satis ille suo nimirum friget in igne,
Iste suis autem se nimis vrit aquis.

Nasutæ, & indoctæ plebis subsannationes & imperia toleranda. TITYRO. LXXXV.

Turba tuum ista pedem vt calcet patiare necesse est,
Calcet deinde tibi brachia, colla, caput.
Huius item imperium durum te ferre necesse est,
Magno tum ingenio, tum sapiente animo.
Viues, & viues si non fœliciter vsq;
Saltem suaue tibi Tityre, suaue tuis.

CVRIONI BORTHONI, Ex bona satione optimus fructus. LXXXVI

Bellè Euangelium Christi dum curio Bortho
Inseris his nostris auribus, hisq́ animis.
Dumq́ pyros bello, sed & inseris ordine prunos
Bortho sagax, hortis ô Melibœe meis.
Quæso vide claros quantum tibi ponis honores:
Quos fructus facies, percipiesque tuos?

PAVLO. LXXXVII

Quòd nullam cupias vxorem ducere Paule
Quæ caußa est? timor hoc simplicitásque facit.
Libera

Libera nonne times huic subdere colla capistro?
O te conspicua simplicitate virum.
Esse magistra velit si uxor, potes esse magister,
Esse potes dominus, si domina esse velit.

CVRIONI BORLHONI
EX FIDE SPES LXXXVIII

Pol thesaurorum summo Dominóq;, Deóq;,
Nostróq; Maximo Herculi,
Francisco, decimas Boi tho bone curio Regi
Potes libenter soluere.
Sic etenim fies (bene si quid iudico) diues,
Tam credis ipsi fabulæ.

Ad CHRISTVM OPT. MAX.
Querimonia in angoribus. LXXXIX

Vnius dentis magno, multóq; dolore
Me rapit huc illuc, discruciatq; furor:
Accedit, quod me circúmq; supraq; molestant
Pauperies alia parte, alia Esuries.
Omnia sed bene habent: à quo istam tempore carnem
Sic maceras, soli seruio Christe tibi.

LONGVRIONI. XC

Heus noster toties tu qui Longurio quæris
Cur Iudices in Francia, in Burgundia
Lites, & caussas varijs speciebus (aroma
Vocant) pecuniarijs tam condiunt?
Hoc est (si nescis) quod vulgo dicier audis:
Subputre salsamentum acùto origano.

Cœlibi viro. XCI

Scire volo, quoties cur non tibi ducitur uxor:
Cur tibi cur non est uxor amica domi?
Tu caput auertis, tu nares comprimis ambas,
Ac mihi si cantet culus, ouentq; nates.
Sed peccas: faciem nobis, vultumq; reuerte:
Olfac, quandoquidem est indicus Vxor odor.

Concionatori docto, & eloquenti, sed deploratæ vitæ. XCII

Nil quàm Euangelium Christi loqueri'sq;, docésq;:
Sed qualis vita est ô Epicure tua?
Ecce bonos potes ipse alijs producere fructus:
Sed tibi sola manent, quæ tua sunt folia.
Vnum (vt uis alios doceas) te (aduerte) docebo:
Viuit homo grano, Brutum animal palea.

Ex Græ. Epig. D. XCIII

Sum iuuenis nimium miserè me torquet egestas:
Quando Senex fuero, tunc ego diues ero.
Non potero tunc vti opibus, qui promptus abuti
Nunc possum: optio sit, non cupio alterutrum.
Sim iuuenis diues, tantisper viuere suaue est.
Simq; Senex pauper, sicq; libens moriar.

Pauperi, & amico. XCIIII

Vxor quæ tua te sequitur? vah pauperies est:
Næ vis vxorem perdere pauperiem?
Quæso modum nescis quo vxorem perdidit Orphæus?
Nonne vbi respexit, perdidit Euridicen?

Pau

Pauperiem verso retrorsum respice collo:
Pauperiem longùm respice, deinde fuge.

C. GROSTETIO Sororio. XCV

Vxorem frater tota si quæris in vrbe,
Est hoc perinde ac si caducis tesseris
Ludas: quandoquidem tibi si contingat habere
Quod plurimùm, primùmq; concupiueris:
Tu reuerenter habe fortunam, & semper adora.
Non omnibus, nec paßim idem euenit viris.

R.S. suo. XCVI

Quàm cupias, quantumq; velit tua scilicet Vxor
(Qua dicunt opus esse domi) resplendeat arte:
Coniugijq; sciat distinctas ordine leges:
Omnibus & breuiter virtutibus emicet omnes
Inter matronas per matronalia iura:
Caußidicis nusquam capite est sine fabula nobis.

RAMISSIO. XCVII

Incœpit Didymus tum demum credere Thomas,
Quando in latus Domini suam intulit manum.
Tum demum incipiet Franciscus credere Thomas,
In hunc suam cùm apparitor manum inferet.
Illud de Didymo Thoma scis ipse Ramißi:
Francisco & hoc de Thoma ego quidem sentio.

Lectori. XCVIII

Hoc insuaui, & friuolo
Nugarum aceruo nil minus

Quam gloriam, & laudem aucupor.
Volo tua fame abutier.
Si iam es satur: nil amplius
Contendo: Lector heus Vale.

D. PERPETVO ab Henriotis. XCIX

Perpetuo, dum perpetuos tibi iungis amicos
Pomponium, Vingtmilium, atq; Batalum:
Iunge tibi vatem, vatem tibi iunge Girardum.
Hic pentagonum absoluerit clarissimum:
Deinde tuum tribus his ostendet nomen Amicis
Ex veritate, & re inditum tibi maxime.

D. APHRICANO A MALLEO Equiti Diuionensi & Asso. Prætori C

Hos dum Manipulos, Cohortésq; offero,
Committóq; vnicè tibi,
Tam obtundere potes hîc tuo gentem inuidam
O APHRICANE, malleo,
Quàm perfidam deleuerit Numantiam
Olim Aphricanus Scipio:

EPIGRAMMATΩN TERTIAE CENTVRIAE FINIS.



IOANNES GIRARDVS DIVIONENSIS CANDIDAE PASITHEAE SVAE FOELICITATEM D.



IAM VERO Qui Inuidia, qui Inuidiæ Satellites huius mei vexilli, (quod in ſolem, & puluerem expono) lucidum fulgorem, ſed vel vmbram ſubluſtrem ferre poterunt? ô mea Paſithea: Ecce ego hoc tuæ fidei plurimum committo: tu caue plurimum, ne quiſquam unquam tuis illud è manibus excutiat, euellat, extorqueat. Et certè (niſi mea me expectatio, niſi me etiam perſpecta ratio fallit) in hoc negotio heptaboëum pro me animum tibi ſumes, indues, habebis. Cæterùm ecquis ſub te ita admodũ magnificã, generoſa, facũda, iocunda, atque adeò fœlici, & diuina anteſignana huius militiæ difficultatem ſubire recuſet, aut refugiat? Quinimò vide, vt ſtatim, & feſtiuiter meæ Epigrammaton pugnaciſsimæ, inſtructiſsimęque copiæ in cãpum prodeant, vt miſsilia, & penetrabilia obtrectationũ tela nihil reformident: vt denique ancipites, quæ hîc vndiquaque circunſiſtunt, ſycophantiarum angu-

ſtias nimiùm morentur, & nullo cum ſtupore ſuſpiciant.atque hoc eſt, hoc (inquam) ipſum eſt: propter quod rem omnẽ nobis rectè, fœliciterque ſucceſſuram,& ferocißimam Inuidiæ tyrannidem ſublatum iri confido., imò certò ſcio.

Iam totus riſit, iam totus ridet Olympus
Mea ſuper victoria:
Publica quinetiam parat omnis gaudia Mundus:
Ego lauri odorem ſentio.

Vale, & Macte animo mea ô
PASITHEA, ASSONAE,
CAL. IVLII 1552



1 Bona voluntas. 4 Inuidia.
2 Paſithea. 5 Lerna malorum.
3 CORNV FERIT ILLE CAVETO.



IOANNIS GIRARDI DIVIONENSIS

APUD ASSONAM DICASTAE

EPIGRAMMATΩN
Centuria quarta.

A. GANETIO CENTURIONI QVARTO.



XECRABILIS est, & formidabilis Hydra:
Horribili lingua, terribiliq́; sono.
Hydra, meas grauiter quæ circumsibilat aures:
Ad celsum auditur sibilus vsq; polum.
Huc properate meæ celeres properate phalanges:
Ad capienda vocat vos meus arma timor.
Huc ades: & quartus mihi Centurio esto Ganéti,
Et te esse Alciden sentiat Hydra meum.

Ad PHOEBVM Inuocatio. I I

Magne tuo tua si desit lux Phœbe, Girardo:
Illius incumbent nox, tenebræque animo.
Magne tuo tua si lux adsit Phœbe Girardo:
Nox tenebræ ex eius diffugient animo.
Magne tuam ergo tuo da lucem Phœbe Girardo:
Atq; hunc dic vatem clarius esse tuum.
Mox noua quæ cantat, quæ plurima carmina scribit,
Non poterunt cunctis non placuisse viris.

Inter huius temporis bellorum tumultus suas armat, & ordinat Centurias. III

Quid vulgus audit? ego quidã vulgo audio?
Infra supráque conspici miracula.
Cælos apertos esse hiatu lucido
Terrámque vasto dissilire chasmate
In Gallia, vnde Franciã pax deserit:
Cælos apertos euolat, cuius locum
Mars prodiens Stygio lacu subito subit:
Sonat Assona arma: armo Manipulos meos.

Ç. GROSTETIO sororio. IIII

Dum Cabilonensem tranas noue Nauita Pontum,
Assoniensis ego superis Neptunus in vndis
Propitios infra tibi possum emittere ventos.
Candida si modo tu vis tandem extendere vela.
Sed velis fortasse caret tua Nauita nauis:
Ecce ideo Assonicas volui tibi texere telas:

His

His connecte tibi vela, atq; ea deniq; pande:
Et mox illa mei replebunt flamine venti.

De seipso Vtriusque Iuris studio, & Amoris illecebris addicto. V

Qui versor inter Bartolos,
Baldos, & inter Angelos,
Paulos, meósq; Iasones,
Meósq; Zasios: sed &
Panormitanos, & Lapos,
Habeo rotam versatilem:
Amore langueo miser:
Hyems ne erit mihi illico?

Homini rapina nobilitato. VI

Et rapere, & sola toto æuo viuere præda,
Nobilitas nostro tempore prima quidem est.
Hoc quàm sit verũ, mihi muta animalia mõstrant:
Nonne Aquila est primæ nobilitatis auis?
Nobilis est medio dentatus flumine Cetus:
Nobilis est inter cætera bruta Leo.
Hæc autem viuunt præda, viuúntq; rapina.
Harpale nobilitas, præda, rapina tua est.

De seipso. AMOR ZELOTYPVS. VII

Vah, quàm grauis in amore primus hic dolor
Interuenit. Amoris dedit signum alteri
Mea Villea: atq; ocellulis ridens suis
Promisit aliquid, quod malè, & miserè me habet.

Pró te, tuámq; Cupido perfidam fidem,
Vt simplici pro signo, & vno verbulo
Aegram nimis mentem mihi esse sentio.

TRAHIT SVA QVEMQVE VOLVPTAS. VIII

Res sacras alij tractant, Christúmq; loquuntur:
Leges, & Canonas iure in vtroq; alij.
Prorumpunt Medicas alij sapienter in artes:
Hic, atq; ille nouas ordinat Historias.
Præterea Arma alij furiosa negotia curant:
Bella vocant alios: Pax, requiésq; alios.
Ast ego scribo hilari iucunda Poemata pluma.
Vnusquisque suo ducitur ingenio.

Posticæ excubiæ. IX

Si dormienti altum mihi
Culus stet excubitor vigil,
Iocetur, atq; cantitet,
Vt obrepente hoste infido
Somnum meum sono suo
Expellat, & me protegam,
Næ se quod est dignum facit?

VICTRIX OMNIVM SAPIENTIA REGNAT. X

Quis nobis dominus, Dux, Rex, mars, Bacchus, apollo
Contendunt: Iudex Iuppiter ipse sedet.
Mars gladio incumbit: Bacchus sua pocula iactat:
Et Pacem, & Laurum laudat Apollo suam.

Arma vni Paci: vina vni cedite Lauro
Iuppiter edicit: iudiciumq; manet.
Mars iratus abit: dolet ad sua dolia Bacchus:
Rex Reges doctos vngit Apollo viros.

IOLAE adultero. XI

Qui solitus tenues aliorum pascere micas
Nolis grana tua colligere in palea.
Qui calidas rigido gallinas inguine tentas,
Proxima sint culis an satis oua suis.
Plurima de multis Cuculorum corpora Gallis
Qui formas huius multa modiq; facis.
Et canta, & rubram quantum potes erige cristam:
Pullus es, & certè es pullus Iola nouus.

VINVM lætificat cor hominis. XII

Vitæ improbis laboribus,
Tristique viuendi modo
Finem cupiui ponere:
Sed non datum est mihi hactenus.
Iam nunc liquor me Bacchicus
Summum ad Iouem in sublimia
Aufert, rapitq; gaudia.

D. BENIGNO à Verna In DIVIONENSI CVRIA Consiliario. XIII

Si mihi de te aliqua est scribendi occasio Verna,
Hoc scribo de te maximè:
Quod tàm sis vigilans, quàm possit scribere quisquã,

In Curiæ negotijs.
Quódq; hæc (tanta licet) non est vigilantia maior
Iuris tua prudentia:
Quo tu alios inter splendescis lumine Patres,
Vt Phœbus inter sydera.

Non vbilibet viuitur. XIIII

Qua me fata volunt Deus optime viuere sede?
Quo me vos vultis viuere fata loco?
Armisona est inuisa meis hæc Assona Musis,
Iam pridem calamo tædium, & ira meo.
Non possum tamen inde meos subducere cantus:
Non possum lentos inde mouere pedes.
Cur ita? dura mihi solito Rhamnusia more
Hoc facis: aut Stygia fascinor arte miser.

Debitori solutionem procrastinanti. XV

Næ Iubilæus qui tuis
Est festus Hebræis dies
Tibi placeret plusculum,
Quam qui meo dicatus est
Martino: eo quo tu mihi
Debes decem: hoc te soluere
Necesse, vis absoluier.

PLANTVLO Omne donum optimum à Deo. XVI

Dum minimum Australes qua flãt considero venti:
Dum quoq; qua refluunt flumina, curo nihil.
Dum noua dum toti compono carmina terræ,

Du

Dum noua dum toti carmina canto polo.
Dum macerant hylarem mihi nulla negotia frontem:
Dum mea quæ Deus hæc otia fecit, ago.
Ecquis tā bonū habet, quàm habeo mi Plātule tēpus?
Vnus (si mihi vis credere) nempe Deus.

Lucrosa voluptas. XVII

Fistula longa mihi est: pariter mihi lata crumena est:
In me habet illa suas, hæcq; subinde vices.
Vt si quando mihi resonat nihil ipsa crumena:
Decepio volucres, fistula dulce canit.
Et quoties reticet mea toto fistula campo:
Decepi volucres, dulce crumena sonat
Huius, & illius alternos amo, laudo susurros:
Fistula dulce canat, dulce crumena sonet.

Lectori φιλοσοφία. XVIII

Non ego rura, domos, argenti pondera, gemmas
Hoc pro labore postulo.
Quæ petitur cunctis votum in commune Poëtis,
Desidero vnam gloriam.
Difficili capite es (lector) duroq; cerebro,
Hoc si grauaris dicere:
Laudo Girarde tuum Burgunde Poëta laborem:
Sed doctiora à te volo.

De seipso Votum Amasiæ. XIX

Nulla puella nouo mihi, nulla puella Poëtæ:
Quæ sol, quæ libro sit quoq; Luna meo.

Scribitur vna tibi tua Vandoperane Rubella,
Clinia Vulteio, Gellia Ducherio.
Miror, & inuideo: quid enim mihi non licet, vt sim
Vnius addictus seruitio Dominæ?
Vna meo quæ sit Sol, quæ sit Luna libello,
Perfugium iuueni, confugiumq́; mihi?

VILLEAE suæ. XX

Falleris, esse putas, si tu mea Villea quenquam:
Qui te (quàm facio) plus amet, aut cupiat.
Gratia tanta tua est: tua tam mihi basia grata,
Basia diuini præuia concubitus.
Vt si te video, si exosculor, & tua tento
Firma leui subtus tangere membra manu:
Non ego non possum viuusq́, vidensq́; perire:
Cœlica concipio gaudia, & emorior.

In EPICVRI Iram. XXI

Fœtida sus sursum de fimo prodit, & antro:
Sentio fœtores: audio, grunnit: vbi est?
Irruit huc: & me grunnitu, & odore molestat.
Aegrius est, mihi quod non licet aufugere.
Ecce meis maneo quàm poßum firmus in armis
Palladis hoc clypeo firmus, & ense Iouis.
Sus Epicure tua Ira est: qua mendàcia grunnis,
Arma autem mea sunt Simplicitas, & Amor.

Amica

Amico agraphico, achariti, Agelasto, Oenophygo. XXII

Huc noua qui reduces animas in corpora dixit
Acceleret Samius nunc mihi Pythagoras:
Et tua fila Atropos longæ post tempora vitæ
Cùm rumpet, nobis significet, quid eris.
Nil mihi respondes, mihi nil rescribis amico:
Nulla tibi vini est: nulláque cura ioci.
Sic ego diuino: medijs sitibundus in vndis,
Pisce magis mutus, scilicet Vrsus eris.

De Seipso. XXIII

Consulo amicorum studijs, & amoribus vnus
Belle, meis ego peßime:
Communem plorare vicem, mecúmque dolere
Natura non cessat mea.
Sæpius, atque iterum iurgamus, nec semel ore
Damnamus vno, & spernimus:
Quod melius tracto, atque aliena negotia curo
Præclarius, quàm propria.

De C. CLARAVALLAEO. XXIIII

Qui grauibus curis animum, corpúsque subegit,
Atque adeò vt quis sit, nesciat, aut vbi sit.
Tantisper cupiat clara requiescere valle:
Multa suum resonat qua Philomela melos.
Est vir: cui clara à valle est cognomen, & omen:
Hunc, quoties quæro gaudia, quæro virum.

Bellas uxores recitat, bellósq; Caballos
Prolixo, & docto suauiter eloquio.

In derisores. Ex 9. cap. Salo. XXV

Tu derisorem (mihi crede) reprendere noli
Aut erudire usquam uspiam.
Sin Populo præsente tibi pugnam dabit: & sic
Iniuriæ faber tuæ es.
Quin illum potius morbóq;, malóq; relinquas:
Suo, suæq; infantiæ.
Sic in se maculam faciet derisor, & olim
Facti pudebit hunc sui.

Lectori iudicium delatum. XXVI

Dum hîc armo Centurias meas,
Qui nihil aut nimiùm me putat efficere,
Inuidet, aut errat: me modo me melius
Armet suas nisi copias:
Atq; illas in me cogat, in hásq; meas:
Arbiter (hoc si fit) candide lector eris:
Victorq; tibi probabitur.

CAMVSAE Puellæ, Amatorium. XXVII

Basia si mihi vis, mihi si dare cætera tu vis,
Hac qua Musa voles ire Camusa volet:
Seu cœlum petere intendis, super astra volabit,
Contendétq; sua te tenuisse manu.

Seu

Seu celeri tranare audes mare flumina Cymbæ,
Cymba nauta tuæ præsto amor hic meus est.
Atque eadem tellus quæ te quæcunque tenebit,
Tecum semper erit Musa Camusa mea.

Rodetio. XXVIII

Esse Deum, quod te perstringat, dicis Amorem
Hominum, & Deorum vnum Deum.
Ille suo nullum ferit arcu Hominum ve Deum ve,
Nullum, nisi voluntarium, & leuem.
Sis sapiens: Deus hic non est, nisi sacra libido
Membris tuis irrepserit.
Sit castum corpus, castum tibi denique pectus:
Et tu tibi ipse eris Deus.

Diuitum ædes patere munera portantibus. XXIX

Vnius Procerum clausas ter, & amplius ædes
Pulto subinde manu, pulto subinde pede.
Nulla tamen mihi porta patet: cur? nescio, ni sit
Nulla quod illius munera porto domum.
Sunt Procerum portis sensus, sunt denique portis
Illorum Procerum spiritus, atque anima:
Omni adeo Procerum clausas in tempore portas
Expectet, vacua qui volet ire manu.

L.A.S. MAVRITIO. Choreas esse naturæ & formæ puellaris indices. XXX

Ex ipso aspectu si quam fortasse Puellam
Cœpisti amare Mauriti:

Et quali est animo, quali quoque corpore iam vis
Scire, & videre protinus:
Id tibi vel solæ possunt præstare chareæ:
Quibus sequatur te ducem.
Brachia, itemque pedes, vt quali est corpore, sic quo
Animo indicia erunt maxima.

De seipso amare deliberanti. XXXI

Volo, imò nolo amare: consulo te Deus,
Vtrum decentius mihi: tenax nimis
Inopia nusquam vnquam esse amandum vellicat
Aurem: sed vt amem, Spes iubet contra: meas
Hæc commouet vires, meique suscitat
Potentiam, atque fortitudinem ingenij.
Vtcunque sit: Spe diues, & pauperrimus,
Bonis, amabo. Tu mihi faue Deus.

TRIBILONO. Connubium Elegiacum. XXXII

Carminis vna placet species tibi: nempe Elegũ vnũ.
Quærenti caussam diu Tribilone mihi.
Scilicet Hexametrum dicis super esse maritum
Suppositum vxorem Pentametrum esse putas.
Intereaq; studes Elegum componere carmen
Te Hexametro, atq; tua coniuge Pentametro.
Hoc Tribilone modo Veneris te est esse Poëtam:
Hac Elegum carmen cui ratione placet.

XXX CVPPINO. XXXIII

Quòd Cuppine mihi domum, tapetas,
Quòd mensam, tripodas, scyphos, cubile,

Et

Et quicquid similem decet maritum,
Qui post gaudia prima mane surgens,
Vxorem iubeat valere longum,
Tu promittis ad vnam, eamque primam
Lucem: qua fuero nouus maritus.
Viuo: tale alijs parato munus.

MERCERETIO, Aenigma amoris graphicum. XXXIIII

Negotiosus, & ociosus es simul:
Nodum tibi hunc vis soluier?
Heus Mercereti adi, & roga Diogenem,
Quae amoris est finitio?
Dicet tribus ve, quattuor ve verbulis.
Adire non vis? audias.
Est ociosum negotium: vagus,
Et impotens Amor. Tenes?

Cuidam Poëtae impudenti. Ἀντίδωρον XXXV

A Cotyde Leonem accipit,
Qui Cotydi dat Pardalin.
Tu das iambulos mihi.
Iambulos ego do tibi:
Qui te salutant hoc modo.
Es innocens, culpa cares,
Parco tibi. ast in posterum
Sagacius odora: & Vale.

E. CLOPPOTIO IN ASSONENSIVM nebulonum irrisiones,& nequitias. XXXVI

Quî fit, ut hanc doctis vacuam videamus amicis
Et vatibus nostram Assonam?
Vndiq; Cloppoti Nebulonibus illa redundat
Et undiq; irrisoribus.
Hos illi fugiunt, quantum sunt ipsa laborum,
Et arduarum maxima
Præmia curarum: laudari, & dicier hîc est:
Non risiones pessimæ.

CVPPINO. XXXVII

Quinquagena tuo debes Cuppine Poëtæ:
Non caussam ignoras: sed nec eam rogitas.
Euge agedũ, hos numeros potis es numerare? recusas,
Nec numeras, nec vis vtier his numeris.
Ille tuos numeros confundet: durius & te
Innumeris numeris opprimet ille suis.
Tum Cuppine homini cupies numerasse Poëtæ
Pro quinquagenis innumeros numeris.

De seipso. Amor cautissimos fallit. XXXVIII

Ne ego dolis technisq;, quibus amantibus
Opus est, dum amant adeò ambulo
Onustus vsq;, vsq; & grauis, vt ipse artifex
Horum vel architectus: vt
In his redemptor dicier primarius,
Et nominarier queam.

Nihil

Nihilominus in Amore sum elusus miser.
Noctes, diésq; langueo.

Gallicæ quidam Elegiæ suæ subscripserat. ad MECOENATEM. XXXIX

Magna quem Cura, quàm magna negotia vexant
O prime Mecœnas mihi.
Si iocularis homo iocularia carmina lusi,
Non te puto mirarier.
Me fecit iocularem hominem, iocularia Maius
Donauit atq; carmina.
Hoc satis est, tibi si risum moueant, faciántq;.
Omni sapit quis tempore?

RHAMNVSIAE In Auarum. XL

Quem nimis in magnos nummorum tollis aceruos:
Quem ad summa ingentum culmina ducis opum.
An non venit eò ridens, flens hinc vt abiret?
Quinetiam vt lapsu præcipiti rueret?
Verte tuam mihi, verte rotã Rhamnusia vertẽ,
Expectata dies venit, & hora sonat.
Seruiat æternos in paupertate Decembres,
Inter opes liber qui nequit esse suas.

Mariti iocus super molesta vxoris garrulitate. XLI

Curia conuenit, & conscriptos audio Patres
Dura per arestum claudere iura suum.
Nullus sit geminas qui vxores non sibi ducat,

(Praeco ait) aut grauiter qui lachrymabit, erit.
Parcite, non ego sum, qui uxorum ferre duarum
Garrula me dicam posse duo capita.
Quin cum una hac reliqua quã cogar uiuere uita,
Vt non formidem uerbera, malo crucem.

PRAELANO. XLII

Ergo Valentinae ualeant Praelane Dolanae,
Dum me uocat Valentia,
Doctis illa uiris, formosis illa puellis
Multum ualens Valentia.
Illuc te mecum alliciunt Pallásque, Venúsque.
Non uis uenire illuc? Vale.
Cum tenera Fausto, & faelici in amore Puella
Dum te reuisam (inquam) Vale.

Ad amicos sodales. XLIII

Mensa sodalitium parit optima mater Amorem:
Atq; eadem sanctam nutrit Amicitiam.
Huic uos (o Socij) uos mecum accumbite mensae:
Tu puer Herculeo uina refunde Scypho.
Nascetur nostris Amor inter pocula fibris.
Sentitis, quod iam sentio? uiuit Amor.

De vera Amicitia. XLIIII

Syncerum genitore Deo concepit Amorem
Virtus, & medio baiulat hunc utero.
Nascitur hic tandem: fouet hunc materq; paterq;
Nutrit, alit mater: nutrit, alitque pater.

Non

Non ergo vtilitas synceri est mater Amoris:
Huius deinde patrem quis putat esse lucrum?
Hoc verū est: Dominū à pedibus venerātur Amorē
Hinc famula vtilitas, mancipiū inde Lucrū.

Morosos infœliciter amantes. XLV

Fœlici amore qui vtitur fœliciter,
Illo quasi ebrius Deo,
Nihil malis mouebitur rumoribus,
Dum plus satis sibi placet.
At ille dura qui dolet de Cypride,
Si tu os parum diduxeris
Magnas, sui planè inscius, pugnas dabit.
O huius herniam grauem.

Amicitiæ Virtus comes. XLVI

Est in synceris (nostrum sic vulgus) amicis
Tum nolle idem, tum velle idem:
Sed nil turpe habuit cum pulchro crimen Amore
Negotij quicquam vspiam:
Tum quod Amor comite illustri Virtute triumphet,
Duce maximo viuat Deo:
Tum quòd crimen habet socium, nutrítque sodalem,
Tristis Satellitem Stygos.

In Falcam, de communi bono dolentem. XLVII

Nulla reponendo vinaria cella Falerno
Sufficit, esse satis dolia nulla queunt.

Id reualescenti malèsanus Falca Popello
Inuidet: & iustos hinc negat esse Deos.
Tornata aßiduo meruit tormenta labore
Falca, suos sequitur si sua pœna reos.
Quin vt vulturios euitet saxa, rotasq;
Illudet misero iustius vrna seni.

In seipsum. Credulitas Neophitōn in iure. XLVIII

Qui mihi consultus iuris, Doctórq; videbar
Quo iura verè primum amo,
Dicundi iuris tantum esse æstate secunda
Licentiam duxi mihi.
Tertius imminuit præsumptum Autumnus honorem,
Et fio Baccalaureus:
At mihi quæ instat hyēs quarta ecquid iuris habebit?
Nihil: quid hoc? Ero nihil.

Tempore, quod rebus honestis impendendum. charius nihil. XLIX

Viuit homo octoginta (haud plus communiter) annis:
Ex quibus ille decem in mensa, potuq;, ciboq;,
Ac totidem ludo, viginti insumere somno
Dicitur, atq; nouem, & septem pueri ilibus armis
Nil operæ faciens, dein morbus quattuor. Ergo
Qua studeat Musis, studeat quæ rebus honestis,
Illi quarta datur totius portio vitæ.
O tempus: sub Sole tuis quid charius Horis?

In

In Edictum super radenda Barba. I.

Magnanimorũ est primum ornamentũ ipsa Virorum
Barba: viri nos hac sola differre videmur
Fœmineo à sexu: Deus & Natura dederunt
Hanc ideo nobis. Iam verò (vt tempore res, &
Omnia mutantur) Rex, & fortuna iubent nos
Fœmineos rasa vultus assumere barba.
Cur ita? Non omnem Edicti caussam illa papyrus
Exprimit: Est aliud, quàm quod sit sola voluntas.

Blatteroni. II.

Dum me tuis petulantius
Ineptijs, dum me tua
Mordacius lingua impetis:
Vis scire quid sit quod facis?
Hoc nempe quod tardus solet,
Dum Asinus rudit: quantumlibet
HIN HA efferat, penetrat tamen
Vsque ad polos nunquam, aut Deos.

De FERRAERIO. III.

Ferreus à Ferro Ferrarius ille, & ab ære
Pol bene nomen habet:
Vt cui cor ferro, cuique os sit durius ære
Experiare hominem.
Rursus scin' nomen quàm bellè hoc conuenit illi?
Ferreus æra cupit.

Non æquo, non ille bono, lachrymisq; mouetur,
Non prece, sed precio.

De MEVIO etiam post bonorum auctionem diuite. LIII

Meuius impatiens dum creditor omnia Meui
Bona debitoris publica (ut fit) venderet,
Insonti excepit bene lex consulta Priapo
Et concubinam, & ex ea omnes liberos.
Hi sunt vel quouis melior possessio rure:
Bonum illa mobile est, & amplum, & elegans.
Ergo & adhuc satis, atque super sibi Meuius hic est
Diues, nec amplius timebit Meuium.

Iocus in CANONISTAM. LIIII

Multi Pontificum Canonas, Decretaq; Patrum
Plurima ab auditu principium capiunt.
Quidam inde est, qui Pontificum, Patrumq; fuisse
Latè protensas colligit auriculas.
Comprobet hic simili ratione pari argumento
Oblongas Paulo Pontifici esse manus.
Et Canonista bonus tota dicetur in Vrbe:
Dicam: hic est sacros, qui bene scit Canonas.

Amicis venatoribus conuiuialis venatio.

Retia rumpamus, casses rumpamus Amici,
Nulla molossorum sit deniq; nulla Laconum
Cura: nec vlla aliqua quisquam configere sylua

Audeat

Audeat aut ceruos, aut apros: imperat hac Rex,
Rex cui parendū est: sed nil prohibétve, iubétve
Ille meo gladio: media configere mensa
Qui ceruos, & apros, breuiter genus omne ferarum
Possit: Fortuna huc si quid transmittat Amici.

Amico scholastico. LVI

Quod masculinum fæmininum concipit,
Et id quidem Iuris secundum regulas,
Legésq. Ciuilis: mihi næ tu hoc nimis
Refers? Puellam comprimis, quæ filium
Ex te parit. iam dico sæpe, & sæpius
Tibi, & quidem Iuris secundum regulas
Legésq. naturalis è re publica,
Quod fæmininum masculinum concipit.

In Causidicum summæ astutiæ virum. LVII

Annosa est quædam mihi pridem cognita Vulpes:
Qua nulla in terris bestia cauta magis.
Non laqueis capitur, non cassibus, atq. molossis:
Cautè adeò has, illas prauidet insidias.
Quî queat ergo capi? prætentis vndiq. donis,
Hanc capies, si tu tendere dona potes.
Sic erit, hæc veteri contraria fabula verbo:
Vulpes dona capit, quò laqueo capitur.

C. IVLIO. Honorum ambitio. LVIII

Quos sibi conscriptos habet inclyta Curia Patres,
Dum patrios verè suspicor esse Deos:

Si cupio tandem horum claro inscribier albo,
Vis dicam, quæ sit maxima caussa mihi?
Huc desiderij non me dicit ve, trahit ve
Purpurei fœlix ille coloris honor:
Sed tantũ, ut nostris mediũ ostẽdã hostibus unguem
Et videam hos pedibus stare scabella meis.

De seipso famam non periclitanti. LIX

Longa tergo toga supremi Scamna Senatus:
Et mea nulli homini vendo patrocinia.
Hinc ego præcipuo multum contemnor amicos:
Hinc mea me nimium duriter uxor habet.
Sed præuisa meæ non intro pericula famæ,
Nec me imprudenter talibus obijcio.
Quod facio tribus ad summum, vel quattuor annis,
Quicquid amicus agat, quicquid & uxor agat.

Amico pauperi. LX

Tu natus Cerere inuita, inuitoq; Lyæo,
Inuita demum natus es & Venere.
Namque Ceres medijs tibi panem è faucibus aufert;
Nulla tibi liber vina Lyæus habet.
Deinde tuos adeo Venus auersatur amores,
Te esse suum, ut cupiat nulla Puella virum.
Ergo quid infœlix viuos nos quid facis inter?
Inter nos viuos quid facis? Vmbra vaga es.

Linguæ maledicæ. LXI

Heus Lingua Rana, & Vipera
Tu de omnibus dicis male:

De

De te malè omnes audiunt,
Peius loquuntur plurimi.
Si te opprimunt mendacia
Tua: hos, & illos subleuat
Si veritas: an non facis
Opus laboriosius?

C. GROSTETIO Sororio.
Confirmatio rei vxoriæ. LXII

Tam tibi tam frater, verbu vxor, quando timori est:
Vt quoties illud profero, tu trepides.
Quid facias tibi si ducenda est protinus Vxor?
Quantus erit timor his ossibus ille tuis?
Non est, crede mihi, res Vxor tam mala, tamq;
Fortis, quàm fortem forte, malamq; putas.
Si minimo pulses digito, cadet illa retrorsum:
Quàm poteris medio vincere mox digito.

Io. GIRARDOTO. LXIII

Nomen Girardotus tibi est:
C; Littera accedat tuo
Si nomini, tuum tibi
Nomen quod ipse is es, feret,
Erisque Girardoctus mihi:
Et vltimæ illæ Syllabæ,
Quas plus me habebis, efferent,
Quàm sis Girardo doctior.

Iocus in Vxores. LXIIII

Ne qui cum pueris equitas in arundine longa,
Iam nuptiarum expers adhuc,
Tu te ſcire putas, nullo vxor ſubdita fræno
Cuius modi ſit beſtia?
Vnius aſcende vxoris ventremq, humeroſq,
Quæ non putaſti ſenties:
Dicere te melius poſſum mala quid ſiet vxor.
Equito feram annis iam tribus.

Io. AGNO BEGATIO, Nihil nouum probari. LXV

Si quid noui Agne facis, caue
Dicas tuum: nam nemo erit,
Qui laudet: & ſi vel Maro
Non poßit elegantius
Aut dicere, aut deſcribere.
Tanto odio vocabulum
Noui laborare audio.
Tam liuor in viuis ſolet
Nimis, nimiſq, paſcier,

Amico Poëtæ clariſſ. LXVI

Eſſe meas quas tu ſcripſiſti carmine laudes,
Tua ſunt quidem mendacia.
Quod ſi vis verum mihi dicere, dic ea de te,
Quæ dixeras de me mihi;
In me quod ſi illa eſſe cupis, vel forſitan illa
In me eſſe perſuaſum ipſe habes:

Hic

Hic meus hic vehementer amor laudauit vtrumq;
Vt culpet alterum tam abest.

BRVSQVETO Regio, & factitio Scurræ. LXVII

Quod bene stultitiam simulans, tibi prospicis ipsi,
Cuidam stulticia celebris Brusquete videris:
Ille sed est stulto mihi stultior ille Corebo.
Quod si quosq; homines nullo discrimine stultos
Esse putat, propriumq; hominis stultescere dicat,
Nec iurare velit se se, vel dicere poßit
Vsquam vnquam sapientem, te denominet, & me
Stultos: stulticia quos dudum vicerit ipse.

Lectori. LXVIII

Lauda meo de carmine
Me: vel tace: aut quid aptius
Emitte lector protinus.
Laudare, amicus si mihi es,
Tacere, sis nisi garrulus,
Si doctior me, scribere
Me doctius certe potes.
Quorsum ergo tristis auferat
Te liuor in calumnias?

Suspitioso AYLO. Purgatio. LXIX

Conijcis Aule meum, reputas, dicisq; Caballum
Depasci paleas suspitiose tuas.
Conijcis Aule meos, reputas, dicisq; iuuencos

Traxisse in fundo nuper aratra tuo.
Parce autem: ipsa domi quæ sunt, ea fœna satis sunt
Vni, qui meus est, qui meus vnus, equo.
Quin & mando meæ potius mea semina terræ,
Ne quid te crucies suspicione mala.

Mendacium omnium maximum. LX

Mendacijs certant Sodales quattuor:
Primus peribant (inquit) hominum spiritus:
Alter Deum negat: negatq; Tertius
Se vbi esset esse: irrumpit vltimus, atque ait,
Sunt vera, quæ dixistis omnes omnia.
Mendacium autem horũ omniũ ecquod maximum:
Si quid potes, si quid vales mendacijs
Homo ipse mendax tu resoluito hic mihi.

D. CLAVDIO à RVPEFORTI Domino à PLOVOTIO. LXXI

Sola Genethlia, aut doctrina, aut denique Virtus
Iudice me non est integra Nobilitas.
Quòd si tres vno iungantur corpore dotes,
Omnino vnum illud nobile corpus erit.
O Genesis tua, Doctrina ô tua: & ô tua Virtus:
Quo triplici ornatum stemmate corpus habes.
Hinc inter Proceres forti te in rupe repono:
Et te præcipuo dico sedere loco.

In

In aliquot improbos apud ASSONAM Viros. LXXII

Lydi improbi, hos AEgyptij
Sequuntur (vt prouerbium
Habet) secundi: Tertij
Cares deinde prodeunt:
Quartus quibus datur locus?
Quibus nisi Assonensibus?
Ex his tamen demo bonos
Quos criminari non velim;
At hi quidem sunt pauculi,
Pars improborum maior est.

In SYRVM virginum corruptorem. LXXIII

Crimen adulterij Syrus capitale reclamat,
Et tam execrandum iudicat esse scelus:
Hic idem stuprum Syrus laudabile crimen
Tam putat; aut saltem tam putat esse leue:
Septem vt Parthenicas malit stuprasse puellas,
Vnius vxorem quam violasse viri.
Nimirum malit, quam porta, intrare fenestras:
Tam quae sunt stricti dogmata iuris amat.

Inimico Ex PAVLO ad Ro. cap. 12. LXXIIII

Si te fames, si te sitis
Torquet tibi cibum tibi,
Potum ministro sedulò.
Nae dum hoc facio, totum opples

Tuum caput carbonibus
Ignus? manet vox hæc meis
Aeternùm in his præcordijs:
Nolim à bono vinci, malum
Sed vincere in bono velim.

D. P. A Sancto TANTO Præsidi Prudentiss. Clariss. LXXV

Inter conscriptos voluit Burgundia Patres
Te summo, primo stare, sedere loco.
Ire sed ad sese fœlix te Francia iussit:
Et tibi Burgundos desere (dixit) agros.
Ecce adeò toto tibi fama enascitur orbe,
Vt penetrare etiam sydera posse putem.
Et certè à sancto Tanto cognomine Præses
Si tu sis sanctus, tu quoq; Tantus eris.

L. MAVRITIO Amuletum Amoris. LXXVI

Satis superq; Furetiæ
Amore langues Mauriti,
Vis te videre liberum
Graui molestia, aliger
Qua te hactenus torsit Deus?
Dic velle te: te gaudia
Statim sequentur: quæ tuum
Quæ spiritum reddent tibi:
Et te nouem Sororibus,

CASSIODORO. LXXVII

Aprilis tu pisciculos qui mensis inescas:
Qui Maio Cuculos mense subinde capis.
Qui nigræ volucrum noctis nocturnus es auceps:
Qui ceruos medio fallis, aprosq́ die.
Quæ uis cunque tua demum qui ligna securi
Præcipuo in syluis iure secare potes.
Stemma nouum, noua deinde tibi iam insignia finge:
Es siquidem Dominus Caßiodore nouus.

PIGNETIO, De nocturna Gynæciorum frequentatione pro patrio, Burgundiorum more. LXXVIII

Qui te vocat Lychnobion,
Tanquam Sibylla verus est:
Edis, bibis, meijs, cacas,
Ludis, iocaris, basias,
Puellularumq́ supprimis
Sororiantes mammulas,
Facisque ea ad Lychnum omnia.
Quis te Lychnobium neget?

MELIBOEO. De xenijs iudicialibus. LXXIX

A populo quoties ego libera munera sumo:
Mecum quasi malum sit hoc expostulas.
Deinde quid intendunt (rogitas) qui munera mittũt,
Quid quæsitant, deliberant, iubent, volunt.
Neu vero hic fias Martinus presbyter, & sis:
Interroganti tuque tibi respondeas.

Sic Melibœe tuo breuiter respondeo, Voto;
Bonus bono stomachus cibo haud corrumpitur.

H. SVSSANNAEO LXXX

In nostris nuper cùm tu regionibus esses,
Inq; equitare tua coniuge visus homo es.
Nil de me audisti: quidquid est, te non ego vidi.
Aut tu surdus eras: aut ego cæcus eram.
Hoc doleat tecum tua Sussannæ Thalia:
Et mecum toties esse, loquiq; velit.
Hoc dolui, mecúmq; meæ doluere Camœnæ:
Intueri quæ te (sis vbicunq;) volent.

D. BENIGNO à VERNA in supr. Diuionen. Curia Consiliario, Atææ. D. LXXXI

Suspicor, & verum est magnū illū Antæa Gygatem
Proprium ab Atæa nomen habere tua:
Ille hanc si semper potuisset tangere terram:
Herculeas poterat non timuisse manus.
Hæc, eadémq; tibi dum se coniungit, & vnit,
Non metuit Franci sceptra, minásq; Iouis.
In promptu ratio est, & prompta est denīq; caussa:
Antæi mater, filia Verna tua est.

Simplici minimumque astuto homini. LXXXII

Cætera magne hominum doctrinæ animalia fallunt.
Mente tene hoc, posthac decipiere minus.

Ad VORANVM. Paupertatem incorruptam, esse fœlicitatem. LXXXIII

Quid me fœlicem toties, totiesq; beatum
Vorane dicis, cantitas, iactas, facis?
Contra, infœlicem toties, totiésq; misellum
Vorane quid te clamitas, gemis, putas?
Si quia ego pauper nullo corrumpor ab auro:
Ea ipsa mihi demum bona est fœlicitas.
Si quia tu diues multo corrumperis auro:
Eæ tibi demum miseriæ sunt malæ.

Bonum Omen conuiuale. LXXXIIII

Præpete quid Volucri hic opus est, aut oscine nobis?
Nunc prisci valeat temporis augurium.
Est præsens melius sese offert cœna parata
Cum perdice, capis. Ergo bonis auibus.

Homini vindictæ sitienti. LXXXV

Me fecit iræ filium
Natura: vindictæ facit
Tua te Megera filium.
Si non mea ira efferbuit,
Tantisper à me tu caue,
Vindicta nusquam autem tua
Quiescit: omni tempore
Timebo te, fugax timet,
Vt mus Catum, ac Ouis Lupum.

Doctos,& studiosos contemni. LXXXVI

Qui sapiunt,hodie sunt nullo in honore Poëtæ:
Præmia Doctrinæ dedecus,atque dolor.
Qui bene agunt,hodie sunt nullo in honore Prophetæ:
Præmia Virtutis dedecus,atque dolor.
Intereà tamen & cælos,& Sydera specto:
Mox etiam Nimbos cerno,sequorque Notos.
Quid facias?nos fata regunt,nos fata gubernant:
Ast aliud post hæc tempora tempus erit.

D. Io. BATALO in Diuionensi.
Curia Consiliario. LXXV

Caußidicos stellas,violenta tonitrua lites,
Deinde suos summos,qui dicunt iura,Planetas
Curia habet,celsum tam bellè imitatur Olympum.
Batale qui magnus gentili nomine Mars es,
Prudentíque animo Saturnus,deinde diserta
Mercurius lingua,venerando Iuppiter ore,
Blanditijs Venus,& facie pulcherrima Phœbe,
Sol breuiter medio qui diceris esse theatro,
Hoc satis est,ego stella tua si luce coruscem.

D. G. Galthero in eadem Diuionensi.
Curia CONSILIARIO. LXXXVIII

Dicebam Galthere tibi iuuenilibus annis,
Dum res futuras plurimùm prædicerem,
Vt cum Sydereis Iudex in sedibus esses,
Et nos videres hoc esse purgatorio:

Et

Nostrarum ne tu miserè miserarum animarum
Vsquam vspiam immemor sederes, viueres.
Quare si de aliqua vacua sit mentio sede:
De quo loqui tu debeas, satis tenes.

De D. BARPT. ANVLO
Amoris Symbolum. LXXXIX.

Est quidam pulcher gemma, pulcherrimus auro,
Amabilis multùm Anulus:
Quem magnus fecit Faber, & mihi donat Amicus,
Faber Deus, amicus Deus.
Ille meos digitos nunquam non Anulus ornat,
Mirùmque me hilarat in modum.
Et (quod præcipuum est) nullo consumitur vsu
Omni hinc die vti eo volo.

D. PHILIPPO CHABOTAEO
clariss. in Francia
Thalassiarcho. XC.

Quis Chabotæ modo es? Francis Neptunus in vndis
Tu quali dignus coniuge? Tethi mea.
Tene suis adeò impetijt fortuna sagittis,
Obrutus vt propè sis fluctibus ipse tuis?
Ab Ioue næ demum cum Iunone, & Cæsare Tethis
Implorauit opem? præstitit ille operam.
Mox super antiquos in aquis emergis honores:
Fortuna vt nolit, nolit vt Inuidia.

Doctos, & studiosos contemni. LXXXVI

Qui sapiunt, hodie sunt nullo in honore Poëtæ:
Præmia Doctrinæ dedecus, atque dolor.
Qui bene agunt, hodie sunt nullo in honore Prophetæ:
Præmia Virtutis dedecus, atque dolor.
Intereà tamen & cælos, & Sydera specto:
Mox etiam Nimbos cerno, sequorque Notos.
Quid facias? nos fata regunt, nos fata gubernant:
Ast aliud post hæc tempora tempus erit.

D. Io. BATALO in Diuionens.
Curia Consiliario. LXXV

Caussidicos Stellas, violenta tonitrua lites,
Deinde suos summos, qui dicunt iura, Planetas
Curia habet, celsum tam bellè imitatur Olympum.
Batale qui magnus gentili nomine Mars es,
Prudentique animo Saturnus, deinde diserta
Mercurius lingua, venerando Iuppiter ore,
Blanditijs Venus, & facie pulcherrima Phœbe,
Sol breuiter medio qui diceris esse theatro,
Hoc satis est, ego Stella tua si luce coruscem.

D. G. Galthero in eadem Diuionens.
Curia CONSILIARIO. LXXXVIII

Dicebam Galthere tibi iuuenilibus annis,
Dum res futuras plurimum prædicerem,
Vt cum Sydereis Iudex in sedibus esses,
Et nos videres hoc esse purgatorio:

Et

Nostrarum ne tu miserè miserarum animarum
Vsquam vspiam immemor sederes, viueres.
Quare si de aliqua vacua fit mentio sede:
De quo loqui tu debeas, satis tenes.

De D. Barpt. Anulo
Amoris Symbolum. LXXXIX.

Est quidam pulcher gemma, pulcherrimus auro,
Amabilis multùm Anulus:
Quem magnus fecit Faber, & mihi donat Amicus,
Faber Deus, amicus Deus.
Ille meos digitos nunquam non Anulus ornat,
Mirùmque me hilarat in modum.
Et (quod præcipuum est) nullo consumitur vsu
Omni hinc die vti eo volo.

D. Philippo Chabotaeo
clariss. in Francia
Thalassiarcho. XC.

Quis Chabotæ modo es? Francis Neptunus in vndis
Tu quali dignus coniuge? Tethi mea.
Tene suis adeò impetijt fortuna sagittis,
Obrutus vt propè sis fluctibus ipse tuis?
Ab Ioue næ demum cum Iunone, & Cæsare Tethis
Implorauit opem? præstitit ille operam.
Mox super antiquos in aquis emergis honores:
Fortuna vt nolit, nolit vt Inuidia.

Votum anathematicum. XCI

Nos leuibus pennis volitabimus aëra, si nos
Dædalus alatos fecerit arte viros.
Dura in saxa iterum vertemur, Deucalion si,
Si velit antiquum Pyrrha videre Chaos.
Ast hoc ignauo, & peruerso Dædale sedo
Nolim te precibus sollicitare meis.
Sed tu Deucalion mihi, tu mihi Pyrrha fauete:
Et facite hoc mutum tempore me lapidem.

Amico præcipuo. XCII

Hæc mea quotquot habet tenebrosos Assona Vappas
Meis iambis cœperam perstringere.
Acclamas: adeo tua ne est oblita sui mens
Girarde, vt odiosa sit tibi Patria?
Reclamo: Ecquot habet præclaros Assona Ciues,
Quos laudibus non efferam vsq; ad sydera?
Vndiq; veridicus nequeo non esse Poeta
Præ veritate & hac, & illac perfluo.

In eos, qui togatis viris maledicunt. XCIII

Conscripti Patres statuunt sua iura Planetæ:
Inter quos magno Sol splendet lumine Præses.
Stellas Causidicos: errantes esse comatas
Audio Pragmaticos, repetita tonitrua lites.
Hos ergo, atque illos, qui dicunt esse tyrannos
Totius populi, totius deniq; mundi

Harpy

Harpyias, nimium os in cælum in sydera ponunt:
Et nimis ignorant pigri sarraca Boota.

Amico non vsquequaque constanti. XCIIII

Quid tantisper amas tuum Gnardum,
Dum seruit tibi, dum vides, & audis?
An tu tam procul ex tuo fidelem
Propulsas animo impudens amicum,
Quam longe est oculis remotus? At quid
Syncerum, & stabilem putas Amorem?
Ne coniunctio mentium bonarum est?
Quas quis vel gelidum videns Booten
Disiungat locus? ò tuam ergo mentem.

In Eunuchum. XCV

Eunuchus inuidet malus Tenebrio
Mihi: caret pilis miser, quibus sit os
Illi decorum, qui sient & testium,
Et mentulæ indices: mihi hæret in genis
Formosa ab omni parte barba: quæ virum
Me mentulatum prædicat, quæ mentulæ
Hanc longitudinem, imò magnitudinem
Bellè intuentibus Puellis indicat.
Hinc inuidet Tenebrio, atque hinc inuidet.

Spe fretus amare deliberat. XCVI

Me amare paupertas vetat,
Contrà, me amare Spes iubet.
Summum vtraq; in me ius habet.

Sed quæ potentior Dea,
Ostendat hîc potentiam
In me suam, & eam hîc comprobet,
Iam me ecce Paupertas fugit,
Et Spes mihi sola adsidet.
Ego ergo amabo protinus.

PETRARCHAE XCVII

De studijs Petrarcha meis si scire aliquid vis.
Ignauum, Pigrum, Piger, ignauúsq; Cupido
Me facit: hinc vanas exerceo sæpe choreas:
Sæpe vagabundus totam discurro per vrbem:
Et quia sæpe datur mihi res, tempúsque, locúsque,
Sæpe meam vnà ipsis cum nummis ludo crumenam
His studijs, studijs inquam, his irretior, atque
Delector: mecúmq; alij quicunque Poëtæ.
Næ autem dum hæc facio, studeo bellè, egregiéq;?

In postridianũ pridianæ crapulæ ieiuniũ. XCVIII

Vir deditus ventri, & gulæ,
Qui peius ac ieiunia
Nil odit, aut minus facit,
Quem (quæso) Quadragesimæ
Diem libenter transigit
Ieiunio, abstinentia?
Non magnus ille Veneris est,
Non sanctus ille Sabbati est:
Sed tristis est Cinerum Dies.

De

De D. Cl. Lotharingo clariss. ab Aumala Duce, & prudentiss. in Burgundia Prorege. XCIX

Extremum hunc, volui bellè insignire libellum
Clara gemma aliqua, nomine claro aliqua.
Ecce mihi subitò accurrit, dixítque Thalia,
Gemma micans, præstans Aumala nomen erit:
Ergo meum illustret quātū queat Aumala carmen,
Et me ad se (si quid me velit) ille vocet.
Ecce simul possum miles, simul esse Poëta:
Dextra mea & calamo gaudet, & ense manus.

PHOEBO. C

Assonico quædam viuit mala Bestia campo:
Quæ quoscunq; nouos circunspicit esse Poëtas,
Quantumcunq; potest exercet, eósque molestat
Flammiuoma lingua, nasuto denique naso:
Vt reliquos taceam, prima qua nocte Poëta
Prodeo, continuo me Bestia dente momordit.
Iam quid agam? doctas nisi me vis linquere Musas
Phœbe veni, vindéxque tuo succurre Poëtæ:
Atque nouum Pythona tuis interfice telis.


EPIGRAMMATΩN
QVARTAE CENTVRIAE
FINIS.



IOANNIS GIRARDI DIVIONENSIS APVD ASSONAM DICASTAE

EPIGRAMMATΩN Centuria quinta.

MACLOVAEO POMPONIO QVINTO CENTVRIONI.



APIENTIAM, & mathemata
Cùm nos doceret Iulius,
(Pompóni amice idem & vetus
Commilitò) tum toto eras
Tam effusus in me pectore,
Vt adhuc putem, quod audeas
Et sanguinem, & vitam tuam
Pro me (si opus sit) fundere.
At est opus nunc. En tibi
Claro duci committitur
Hac turba quinta, & vltima.

De Scipso. Allusio ad controuersam
Homeri patriam. II

Inter septem vrbes cuius sit ciuis Homerus
Lis fuit, & dubio Iudice pendet adhuc.
Sic sibi tota suum me vendicat Assona ciuem:
Ciuem me esse suum Diuio diues ait.
Illa Abauos, Proauos generauit: Auúmq́, Patrēq́
In medio genuit mater amica sinu.
Hic me vitales verò produxit in auras,
Atq́ mihi sanctum chrisma, fidémq́ dedit.
Sum vtrius? in propria sic caussa iudico Iudex:
Assoniensis eram, Diuionensis ero.

Ad Francicum Piælium IIII

Anulus ille tuus, imò meus, imò vtriusque
Pro patre te charo (Francice) Iure tenet.
Cui Pius Aelius affini pietate fuisti:
Vnde Pialius es nomine, réque pari.
Cùm foret errabundus, inops, stultus, iuuenisq́,
Consilium ille tuum sensit, & auxilium.
Ergo immortalis per me tibi gratia ab ipso.
Noster enim per te est Anulus incolumis.

Patri suo Elpidicon. IIII

Quos Pater è turpi subductos audio lintre
Auxiliisq́ tuis, diuitiisq́ tuis,
Vt vidêre tuos paulùm decrescere nummos,
Te mox, atque tuam deseruere domum.

Post paulò vt te inopem Fortuna ex diuite fecit,
Neglexere tuam prorsus amicitiam.
Et (quod peius habes) vnco suspendere naso
Pessima te nondum desinit illuuies.
Sed sit Spes: reliquos longum viuemus in annos
Ingenio, fama, relligione, fide.
Sic se fata mihi, sic se mihi Numina monstrant:
Sic mihi se monstrat maximus ecce Deus.

In Ingratos. V

Exosum, & nulli non execrabile genti
Ingratorum hominum dicitur esse genus.
Sunt alij, quibus est leuior bona gratia pluma:
Sunt, qui dißimulant munera, dona negant.
Sunt alij, obliti quæ feceris ipse bonorum:
Sunt, qui pro officijs damna referre solent.
Illos natura plus quàm capitaliter odi:
Hos odi lachrymis plus Crocodile tuis.
Hos, illos odit tellus, hos æquor, & illos
Aër, & hos, illos odit vterque polus.

Ad Charites. VI

Cessimus Charites hoc hominum genus
Hic perstringere: qui pendere gratiam
Non curant: aliò tempora me vocant.
Ad me huc vos comites meæ.
Quod formosa meis seruit amoribus,

Quod

Quod formosa mihi seruit in omnibus,
Et desiderijs precipuis meis
Finem Villea fecerit,
Quod Fortuna fidem seruat (amica vt est)
Falcao eximio, hic laticiam date:
Et pulsate solùm composito pede
Mecum. Primus ego ambulo.

De Muliere, & Equo, Bestijs venalitijs. VII

Iu omnibus pulcherrimae, & laudabiles
Hae bestiae duae Mulier & Equus veneunt.
Re caeterùm omni erit dolosus venditor,
Praeterquàm in his solis duabus bestijs
Harum altera est, quae venditur facto precio
Denarijs decem & tribus, eáque venditur,
Sic, vt reuendi neutiquam queat: Altera
Vendatur vt centum aureis, & amplius,
Reuendi ea illa quidem queat, quanti potest.
At constet vtra pluris haec, an altera,
Emas vtramq; bestiam, & certò scies.

In Medicum auarum. VIII

Aegrotans animi Medicus languebat auari
Nec sibi Paeonia ex arte ferebat opem.
Arguit hunc quidam. Nae valde incurius es tu
Cui cura alterius: nec tibi cura tui?

Huic Medicus. Moriar. gratis non curo libenter.
Pro me curato quis mihi det precium?

De temporis calamitate. IX

Tristior ora fames miseros nos pluribus annis
Angore pressit ciuitas
Nulla erat immunis, nullum quoq; corpus in orbe
Crudeli inaccessum harpyiæ
Accessit telis circundata pestis, & arcu,
Vnum obuium quemq; impetijt.
Quod si se iungat socijs Bellona duabus
Nostræ imminens Burgundiæ,
Maxima mortis erit toto myrmecia mundo,
Erunt malæ vndiq; miseriæ.

N. BORBONIO POETAE 10

Carminibus, nugísque tuis, salibúsq;, iocísque
Sum Borboni doctissime
Pulchram in formoso complexus corpore mentem
Speculo quasi quodam meo.
Tunc & apud me sum tibi talia verba locutus,
Tibi qualia loquor hîc iterum.
Si mihi consuetudine, colloquijsque liceret
Frui tuis mi Borboni,
Nullibi terrarum, quàm vbi tu sis viuere possem
Cùm suauius, tum gratius.

De Seipso. Suspiriorum fontes. 11

Qui

Qui identidem suspiria
Ducit profundo a pectore,
Curas homo graues habet:
Vel altius apud se dolet:
Vel forsitan in amoribus
Nullas videt faciles vias.
Curis abundo pluribus:
Me multiplex torquet dolor:
Spernit Puella me mea.
Hoc est, quod hic suspiro ego.

M. IVNIO Hybernis rigoribus. XII

Quid te iam velit hic tuus Girardus,
Audi: depereant suas Puellas
Illi, quos Deus ingenij, atque mentis
Priuat dimidio: & modo facessat
Tanti prima mali comes voluptas:
Huius me focus, ignis, atque flamma
Plus certe calefecit, ac volebam.
Lignis. Iuni alium mihi para ignem:
Aedes dum propero ad tuas recinctus
Non lumbos rigidos Amoris æstro,
Sed lumbos rigidos gelu, atque vento.

Super belli apparatibus
anno. 1542. XII

Quanta mouere ferus toruo Mars pralia vultu
Cœpit, volebam scribere.

Sanguineum at calamũ mihi Musarũ abstulit vna
Quæ odit Thalia tristia.
Iussit, & vt versus facerem, quibus ipse Cupido,
Atque ipsa splendescat Venus.
Quid vis? non mihi fas est numen tendere contra:
Illi lubens obtempero.
Tristia qui sapiens est nunquàm tristibus addit:
Quisquis dolet, quærat iocos.
Intereà vnum aliquid si ausim tibi dicere, dicam
Quod finis est belli dubius.

H. GIRARDO patrueli.
De Legibus, & armis. XIIII

Certa quibus feriam strepitantes arma sophistas,
Suades capessam Cæsaris.
Cæsaris arma olim fuerant me iudice leges,
Pax, Spes, Fides, Clementia.
Cæsaris arma modò gladijque, hastæque cruenta,
Et alia quæ huius sunt modi.
Hæc, non illa cupis tu me arma capessere? non hæc,
At illa frater forsitan.
Vtraque conueniunt: illis obtundere stultos,
At his malos potero viros.

Pollicitatori summo. XV

Ostende percito fame
Panem Cani, nec illi habe,

Aut

Aut porrigas: at interim
Tuos tuere tu pedes,
Is immemor dum abiuerit.
Promittis aureos mihi
Montes, eósq; ipso indice
Monstras, caue autem si dare
Illos mihi non est tibi
Deliberatio, ne ego
Mordens Canis sim protinus,
Et sentias dentes meos.

AVRVM SANGVIS & VITA. XVI

Vnde hoc, vt fuluo quanto minus impleor auro,
Hoc mage magno emptis impleo me dapibus?
Quî fit item, vt fuluo quanto magis impleor auro,
Hoc minus oppiparis impleo me dapibus?
Huc, illúcve potens mea me Natura vocauit
Pro varia sortis conditione mea.
Hoc fit natura, querulam quod semper in aluum
Immittat, nummis qui caret, & loculi.
Hoc fit natura, facili ieiunia ventre
Vt ferat is, magnas qui sedet inter opes.
O aurum triplici capsa, clauíq; serâq;
Seruandum: sanguis, vita, salus hominum.

IOSEPHO De amore indissolubili. XVII

Si Veneris mystes ille optimus optime Joseph

Esse velit casto castior Hippolyto.
Si Bacchi mystes ille optimus optime Ioseph
Prudenti rumpat pocula consilio.
In summa viuam cum doctis pace Puellis,
Qui nullam pacem, nunc habeo, aut requiem.
Cur ita? quod glaciem fundat nos inter amicos:
Hinc caueo, tu illinc (si potes) ipse caue.
Vis Veneris non est, Bacchiq; potentia tanta:
Vt nos si nolis dissociare queat.

Libidinoso Hypocritæ. XVIII

Si sit dies, casto videris Hippolyto
In pelle, & intus castior.
Si sint tenebræ, Iuppiter tentas thoros
Salax puellarum omnium.
Tantum die vigilare sollicitos Deos
Putas, eosdemque integras
Dormire noctes? error impius te habet.
Quare modo te respice:
Scrutator omnium Deus adest cordium:
Latere quem nihil potest.

Iocus in Medicos. XIX

Cuiusdam magno renum, capitisq; dolore
Terras turbato miscuit ira polo.
Conueniunt medici: morbum caussasq; requirunt.,
Consultant, facto quid super esset opus.

Ille

Ille moræ impatiens ecquid contenditis? (inquit)
Vos perdant crepitus: mox crepat, atque cacat.
Sic vbi ventris onus solut, cessere dolores.
O medina potens liquit & ille thorum.
Plenámq; arripuit lotio, merdáq; matellam,
Consultatores fudit & in medicos.
Fortiter hoc (dixit) facio: quo scilicet isti
Hos morbos melius quam o oleant, sapiant.

Io. QVADRATO Tædium vrbis. XX

Assonici alliciunt pueros pinnacula templi.
Ad eáque Iuuenes mussitant:
Non alio torquent oculos, alioue reflectunt:
Nostrorum in ore id omnium est.
Nos verò miseros numero si ponimur illo,
Iniquius fiet nihil.
Nam qui nos fructus? quænam nos gaudia possunt
Hic allegare commodè?
Nulla nos peius, quàm hac viuere possumus vrbe,
Quadrate: sed fatum est potens.

SERENO De Subdolo quodam. XXI

Dum te vale extremum sororibus nouem
Dixisse dicunt vndique,
Dum desides hic Assonæ ociosior,
Dum garris, vsque & lusitas,
Bonas Girarde quid tot horas, tot bonos

Annos inaniter teris?
Hæc auribus quædam meis lingua intonat
Liuore lingua turgida.
Non me sagacem fallit ea vulpecula:
Odoror ego sagacius.
Absentiam Serene amat meam: meam
Autem odit hanc præsentiam.

Veneris ad Girardum Prosopopœia. XXII

Vis dem consilium tibi Girarde
Flagranti super hoc tuo tam amore?
Vix hæc esse solent simul (videre est)
Maiestas, & Amor. Tua est Puella
Diues, tu sed inops, vide quid audes.
At spera, siquidem tuam Puellam
Dixi: fors tua erit: quid istud est fors?
Illa (inquam) tua erit, (cale) Caleta.
Hoc quod polliceor ratum manebit,
Qam te despiciam, mei profecto
Aeneæ potius preces recuso:
Illi mater ego, Venus tibi sum.

PERIANDRO De ardore Aleæ, Literarum, & Veneris. XXIII

Alea, Pierides (Periander) deinde Puella:
Ecquid id est? triplici siccine amore cales?
Qui nimium stringit, minimũ ille amplectitur (aiunt)
Quid

Quid facis? hisne putas te tribus esse satur?
Inter synceros est Alea pestis amicos:
Dic illi extremum (si sapis) ergo vale.
Pieridumque graues paulum intermitte labores.
Vita placere tuæ sit tibi cura animæ.
Hæc anima illa tua est formosa, & honesta Puella:
Quæ tibi (si quid vis ludere) ludus erit.
Hæc anima illa tua est formosa, & honesta Puella:
Quæ tibi pierias poßidet vxor opes.

CORTESIO perpetuum domi latenti. XXIIII

Noctua tu non es Curtesi: non es hyrundo:
Alauda non, non Carduo.
Appares nunquàm, nullus te nocte videre,
Videre nec die potest.
Ecquid inaccesso mihi dic te incumbere tecto
Tam solitarium iuuat?
Passer es, errraui: plumis, rostróq; videmus
Te adhuc carere hoc tempore.
Erraui, non es, sed eris post funera passer:
Quæ tu facis opera iudicant.
Hoc Samius mecum vates prædicere poßit,
Mentirier nisi velit.

RODETIO Perseuerantia obtinet. XXV

Vidisti teneram vidisti quando Puellam
Rodeti, & allocutus es,

Et mammas teneræ tractasti quãdo Puellæ,
Venisti & usquead oscula:
Si non concubitus,thalami patuere,thorique
Amoris ultima linea:
Tu Venerem reuerere Deam:sta deniq; firmus,
Et mista ad id perstrenuè.
His quem porto humeris remouebo Cupidinis arcum,
Nisi breui attingas scopum.

De sua miseria,& miseriæ remedio. XXVI

Qui volet excelsis miserum vidisse sub astris,
Me videat,miserum viderit ille virum.
Et miser est capitis vertex,miser & mihi venter:
Tam fractus curis viuit vterque suis.
Sunt miseri mihi testiculi, miser ipse Priapus:
Hunc adeò,atque illos vndique frigus habet.
Vosq; manus misere miseras vigil impedit Argus
Magna mea ad furiam scribere vota meam.
Vosque pedes miseri,miseri autem intrate cubile,
Quò qui peruenit,desiit esse miser.

PETRO PRAELANO Dissuasio ludi. XXVII

Consumpsisse tuam pecuniam omnem
Non contentus,& his amice factus
Ipsis fabula, cui tuam crumenam
Emunxere suo dolo,sua arte,
Si Prælane tuos libros,tuasq;
Vestes ludis,vt impudens es,heus tu,

 Ne

Ne expectato meum fauorem,
Aut patrocinium: modestius te
Collusisse tuis foret puellis:
Hæ sunt, hæ tibi sunt nouem Sorores:
His colludere si potes, iuuabit
Vafros deseruisse ludiones.

VILLEAE suæ. Aeschrologon honestum. XXVIII

In promptu mihi gutta, gutta multum
Quantumuis calido efficax calori
Sedando: Est calidus tibi focellus:
Spargenda est calido tuo focello
Ipsa hæc gutta mea: hoc facis, Poëta
Fiam Villea, mox Dea inde fies.
Gutta est sermo meus mihi modestus:
Aurem dico tuam tuum focellum.
Quare autem alloquijs tuis, tuáq;
Consuetudine me carere cogis?

BERNARDO, & nos cedamus amori. XXIX

Me iam Assonam cogunt Deus aliger,
Et Cypridis præclara potentia.
Hu quo modo mollis homo negem
Perpetuo obsequier? repugnas?
Bernarde, libertas valeat tua.
Durum capeßis seruitium, moræ
Tantæ nimis multùm impatiens: ego

Intereà attigero scopum ipsum:
Atque his meis sic semper amoribus.
Subseruiens (Est & Venus, & Puer
Mecum) redibo ad vos ter, & amplius
Fortiter illa anima osculata.

PASQVILLO ARGO. XXX

Téq; tuámq; vicem lubet ô Pasquille dolere:
Qui meus hac vna est à ratione dolor.
Quemdam postposito superesse pudore Poëtam
Audio, qui nimium te irreuerenter habet.
Si velit hic aliquod vulgo committere carmen,
Illud carmen ait protinus esse tuum.
Stultum hominem, ignarũq; virũ, insipidũq; Poëtã?
Si verum scribit, si quoq; vera canit:
Cur se assertorem veri prohibere recusat?
Verum est gratum homini, gratius imò Deo.
Si falsum scribit, dignum dico esse Poëtam,
Qui Pasquille tuam pascat, agátque bouem.

P. SORORIO apud Belnam Canonico, Paraclesis super Spe frustrata. XXXI

Frater domi ploras? satius potes
Monstrare fortunæ medium tuum
Vnguem, & laqueum mandare: contra
Tendere numina vis Deorum?

Frater

Frater Deorum numina factitant,
Quæ non putasses: rursum etiam tibi
Quæ tu putasses euenire
Posse, negant: siquidem Dei sunt.
Sperasse certè magnanimi viri est.
Quod si ipsa contingant bona, spe bonum est:
Duplex bonum est: si non, iuuabit
Gaudia de spe habuisse inani.

De Seipso. Fractus ex calamitate animus. XXXII

Si tanta hæc celare mea infortunia possem,
Meas & ærumnas graues.
Me non Aeneas, Agamemnon, Hector, Achilles,
Non magnus ille me Hercules,
Non me esset Iason, quisquã ve hominũ ve Deũ ve
Audentior, nec fortior.
At quia non aliter celo infortunia, fedas
Turpis nates ac Simia:
Diffugitans nostris (vt quem pauor occupat) agris
Quicunque sit Lepusculus
Audacis mentis me plus habet, atque potentis
Animi, & potentis spiritus.

H. GIRARDO Patrueli. Conditionum collatio. XXXIII

Dum re semper habet sub luce Lutetia frater
Hic me sub tenebris Assona semper habet.

Tu non mutares tua cunctis otia gazis:
Huc ego, nunc illuc irrequietus agor.
Vni dum Dominæ properas seruire Mineruæ:
Téq; vocat famulum Theologia suum,
Sum varijs ab Amore modis ab amore Puellæ
Affectus, stolidum seruio seruitium,
Ergo si tibi vis fœlicem viuere vitam,
Viues contentus conditione tua:
Si cupio reliquos traducere leniter annos,
Non ero contentus conditione mea.

Iocus in scurram prima à nuptijs nocte patrem. XXXIIII

Quidam connubio sibi bellam Scurra Puellam
Iunxit heri, factus qui pater est hodie.
Ex quo sollicitus fabrorum adit ille tabernas,
Et cunas centum comparat, inde redit.
Ecquid id esset, erat, qui tunc quæsiuit amicus:
Vxor fœcunda est (inquit) amice mea.
Quolibet illa die grauida demittet ab aluo
Infantem, vt cœpit, si pede pergat eo.
Et centum cunæ centum satis esse diebus
Possunt, ne toties cogar adire fabros.

Iocus in Hospitem. XXXV

Soluere vos, aut hac fas est exire fenestra,
(Quattuor hospitibus durior hospes ait).

Ex

Ex illis vnus Iurisconsultus, & alter
Has leges socios edocuere suos.
Alternatiuis ne debitor eligit? aiunt
Et magis est facilis quæ sit aperta via?
Consilium placuit, dictam mora nulla fenestram
Ascendunt, subita mox abiere fuga.
Hospes litem infert: multùm certatur vtrinque:
Iudex iudicium (quisquis es) ede tuum.

A. MERCARIO. Strena. XXXVI

Iucundæ lætis auibus rediere Calendæ:
Ianus adest, anni principiūmq; noui.
Iam nunc vicinum vicinus, amicus amicum
Fœlici donat muñere, strena aliqua.
Tu mihi vicino vicinus, amicus amico:
Quid tibi vis de me, muneribúsq; meis?
Carmen: (carminibus Dij gaudent) carmen habeto:
Nil aliud pauper quando poëta potest.
Hoc ego perpetuam tibi carmine dono salutem:
Hoc tibi perpetuos carmine dono iocos.

BARDETO Optio studij, vel Amoris. XXXVII

Me ad se docta rapit Bardete Valentia, mecum
Téq; vocat: mecum visne venire? veni.
Optima apud Musas nos parte hærebimus vna:
Sorbentes vno turbida iura scypho.
Si te militia nolit laxare Cupido,

Perge, nefas contrà tendere: miles ama.
Huius & in castris quantumlibet æra merere,
Donec sis meritam dignus habere rudem.
Scribe autem intereà quid, agat valeátq; Caleta:
Et quid in hac Venus, & Gratia iuris habent.
Scribe, sed imprimis fallaci an pendeo in aura:
An frustra tacita me face torret Amor.

MVSAE. XXXVIII

Dic mihi Musa virum, qui fari tempore nouit:
Et qui non nouit, Dic mihi Musa virum.
Dic mihi Musa virum, qui sit doctúsq;, bonúsq;:
Qui malus, indoctus, Dic mihi Musa virum.
Dic mihi Musa virum, qui sit lux, qui sit Apollo,
Qui nox, qui Pluto, Dic mihi Musa virum.
Quid mea musa times? quid habes mea musa timoris
Assoniensis homo est: Assoniensis homo est.
Illius ede mihi nomen, mihi nomen & huius:
Huius non audes: illius ánne potes?

In fœminas clamosas, & malas.
Ex græ. PLANVD. XXXIX

Iratum pelagus multo, varióq; furore
Attollitur in altum æthera:
Præcipitata ruunt in magnum flumina murmur:
Ignes crepant, Venti boant.
Ingenti tonitru Paupertas concutit audax,

Tenáxq;

Tenáxque quos rapit viros.
Quantūcunque molesta hæc sint, & dura, & acerba,
At hæc tamen, quum omnia,
Omnia acerba quibus lachrymosa hæc vallis abūdat
Vallis miseriarum omnium,
Stulticia exuperat mala fœmina, fœmina gaudens
Ineptijs, clamoribus.

OTHONI Hospiti. Tres conuiuæ. XL

Huc tuus huc redijt, (quo nullus amicior) Hospes,
Idem fælici cras abiturus aue.
An tua laudari tanto cupit hospite mensa?
An pasci mage vis illius ex tripode?
Ad te istuc conuiua in equis venio, atque quadrigis:
Ad me tu nisi mox huc venis, imò volas.
Sed sunt nulla tuo conuiuia læta Girardo,
Sint ea Lamberto si caritura suo.
Tres nodo veluti Charites constringimur vno,
Tres simus: trino gratia multa choro.

In MISANTHROPON calamitatibus
gaudentem, & fertilitati indolentem. XLI

Frigore inaudito nascentes torruit vuas
Iratus vsque Iuppiter:
Indolui, dixique pijs malè velle Poëtis
Summum Iouem, & reliquos Deos.
Viuifluus modò cuncta latex per præla redundat:

Crescens putes miraculum.
Est qui dura Ioui spreto conuitia cælo
Facit Μισάνθρωπος κακός.
Usque adeò non semper habes ipsi huicq́, mihiq́
Placere magne Iuppiter.

PRINCIPIBVS, Super creditorum acerbitate. XLII

Heus Principes, duodecim
Tabulæ inopem crudeliter
Quæ debitorem dissecant:
Aut Iura, mores publici,
Qui carceribus illum miserè
Et opprimunt, & enecant,
Nimis mihi nimis displicent.
Qui Galliam habuit mos bonus,
Idem & vetus probabitur
Nimis mihi, cuiq́ & bono:
Quo creditores debita
Petant sibi post funera.

Super PRAGMATICA Sanctione abrogata. XLIII

Priscorum illa quidē sanctißima dogmata Patrum
Quæ placuere, eadem displicuisse vides.
Imperiosa potens sua Tempus regna gubernat:
Tempus habet geminos sub ditione polos.
Vult, nō vult, detrectat, habet, probat, īprobat, et mox
Aedificat.

Aedificat, quod mox diruit, odit, amat.
Quo quicunque vti patienter tempore nolit:
Ingenium Polypi nescit habere vafri,
Ille Gyganteo cœlum, superosq; tumultu,
Et taratantareo territat ære Iouem.

De seipso, cogitante POLYMNIVM. XLIIII

Huc vos ad me hilari Charites accurrite saltu:
Cum candore ioci, cúmq; lepore sales.
Huc comitata tuo fœlix Cytheréa Puello,
Libertas propera, simplicitasq; veni.
Huc omnes ad me Domina cum Pallade Musæ:
Linquimus ingratas, effugimúsq; domos.
Euolues tantæ vexilla Polymnia turmæ,
Ipse Polymniacos cogito quando lares.
Illic me pridem expectat Fortuna, cupitq;:
Præeo, directas ingrediórq; vias.

De seipso HVGARDO, & GVYTO. XLV

Desinite ô nostri tandem celebrare Poëtæ
Aesonidem, Mopsum: Thesea, Pyrithoum.
At vos Hugardum, simul & laudate Girardum,
Sic tamen vt Guyto non sine vtrunque suo.
Illos nimirum si multus iunxit amicos,
Iunxit comparibus multus amor numeris.
Hos autem magnus synceros iunxit amicos,
Imparibus vinxit magnus Amor numeris.

Par numerus quàm impar veri minus obdit amoris:
Verus amor vere est trinus, & vnus amor.

SOPHISTAE. XLVI

Me pingis proprio, fingisq́; Sophista colore,
Nummosum cupidum cum facis, atque a'ium:
Sed quem alium Veneris comitē Venerisq́; catellum:
Annuero, si tu venter es, atque volas.
Audio te infami tumefactum flamine ventrem
Nequitia sartum tectum eum, & Inuidia.
Ergo vola, annuero: potes autem: aduerte, docebo,
Qua bene, qua bellè, qua ratione voles:
A cruce constricto pende vel ab arbore collo,
Si facis, & pendes, annuo, namq́; volas.

PANAETIO In quendam Gymnasiarcham. XLVII

Clamitat esse suæ Primas mala tædia naris
Hoc tua Panæti gaudia gymnasium.
Iussus abire alio pueriles vendere fumos,
Eruit & clauos, eruit atque feras.
Quin nisi versuto catus aufugisset honore,
Nam poterat cupidas prateriisse manus.
Fit memor ouorum quæ liquerat ille duorum,
Quæsitum stadijs à tribus oua redit.
Nate vir inuita, inuita Vir nate Minerua,
Reddita si tibi sunt (res valet) oua, Vale.

In

In Saulum. De Seipso, HVGARDO, & RODETIO. XLVIII

Vnus tres (superi Dij rident) coruus olores
Incessit, querulus insequitúrque sonis.
Pristina fortè dolet primæ præconia formæ,
Dum se nigranti conspicit esse pede.
Quòd si vnde hæc illi dispendia, scire laboras,
Nequitia hæc illi, garrulitasque facit.
At si Phœbe tuæ pergit nocuisse cohorti,
Iratum sibi te sentiat esse Deum.
Quin nisi mutescat, cesset, longúmque quiescat,
Detractam ploret turpia damna cutem.

Amicis. De sua Patientia. XLIX

En mea venalis Patientia prostat Amici:
Eam bona vendam fide.
Cur ita? quod variè (Populo vel iudice) læsa est:
Nummis emetur quot? tribus.
Vile rei tantæ precium. Sed vt illius esse
Loco nouus queat furor.
Vt dem vel gratis, nullus tamen hanc velit: heu me
Quonam hîc ego vtar consule?
Vno, qui mihi me toties commendat Iesu,
Qui dat mihi patientiam hanc:
A nebulone viro quod si hîc offendor Amici,
Me (nam Deus vult) reprimo.

Contra nos magnos olim, & adhuc Asinos.

De Seipso, & MAVRA. LIII

Improba fallacis delusus ad oscula Mauræ
Dixi puellam, & virginem.
Huic proscindendæ adscriptus pro tempore glebæ
Vel seruus hæc ad limina,
In nugis septem in salibus bis quinque Decembres
Vixi bene, atque alacriter.
Verùm hac vt iacto me conditione beatum,
Et ordinarium puto,
Irrides inopem locuples fortuna popellum:
Hîc me vicarium pudet.

Iocus de LAIDE meretrice. LIIII

Est quidam ingressus feruentia balnea tonsor
Sua superbus ambulans nouacula:
Laidos incœpit partes aperire pudendas,
Et cunnum horridulis exonerare pilis.
Hircina hîc stabat barba, hirsutísque capillis,
Latísque, longísque auribus, & ore hispido:
Qui cùm extraxisset rigidam tentigine Linguam,
Impegit miseras tonsor in auriculas:
Nullum hominem Lais solitos admisit in vsus
Menses decem: interesse petit à Iudice.
Indignum facinus: Lex ô Cornelia dormis?
Audio quid? Veneri iura fauere Deæ.

MARCO MAZERO. LV

Audio, qui dicat Naturæ, atque esse Deorum
Te filium, & blanditur ille plus tibi.
Audio, qui dicat, qui appellet, quiq; recantet
Nothum te, & ille omnino mentitur mihi.
Audire est alios æterna in sæcula, qui te
Vt disputant spurium, ita fortasse adprobant.
Blandiri nequeo, mentiri nescio, nolo
Hic disputare, comprobare nil lubet.
Sisque alijs quodcunque volēt, quodcūque putabūt,
Eris omni seculo Mazer, Macer.

In Maritum Μισόγυνον. LVI

Tua flebili torquetur ægritudine
Vxor tenello delicatior hædulo.
Heus iure debes sumptibus medicum tuis
Vocare: nec repetes quod huic impenderis.
Si cæterum sumptus facis pro funere,
Data actione repetere illico potes.
Næ iuris hæc est constitutio, tibi
Iniqua: qui males trium tria funera
Curare coniugum, idque pecunijs tuis,
Quàm vnius aliquam, vt vis leuem, ægritudinem?

De Seipso, & libidinosa muliere, Iocus. LVII

Hesterna Veneris formosam nocte Catellam
Læsi: diem dixit mihi.
Judex sedit Amor magno, ornatóq; cubili:
Multa tremebam audacia.

Illa

Illa sibi fieri petulanti voce petiuit
Aequum quod esset, & bonum.
Accensa in manibus reflexo poplite teda
In me fuit sententia.
Persolui, feciq; satis solemniter illi
Aequum quod esset, & bonum.
Extra ius eadem sine iure expostulat à me:
An debeam sed quæstio est.

De quindecim Diuionens. Causidicis amicis. LVIII

Diuionenses ad causas ter quinq; vocati
Viuunt viri in suis graues subsellijs,
Qui sibi commissas tam bellè, támq; disertè
Lites agunt, tractántque controuersias,
Vt penitus nullam reuolutis ter quater annis
Dederint suis molestiam clientibus.
O fortunatos, ò terq;, quaterq; beatos
Ter quinque Causidicos meos: vos viuite,
Viuite vos: vestram quis vobis inuidet vnam
Fœlicitatem hanc, & beatitudinem?

D. PHILIPPO GROSTETIO Socero. LIX

Qui sua, quique suos, & se deuouerat vni
Rei gerendæ publicæ:
Cuius virtutes populus cognouit, & artes
Annis ter, aut quater decem.

Vita malorum hominum calumnias malas:
Omniáq; hæc, summum quod se conscendere cælum
Hac posse facilè existimet recta via.
Vt non sit verbi diuini nescius huius
Bene erit bonis: est ille Diuinctius.

De Seipso recens nato OMEN. LXII

Me mea dum grauida Genitrix eduxit ab aluo
Aduenere statim tres, mea fata, Deæ.
Ingressa est rutilum melior Natura cubile:
Qui cum intrasse comes dicitur alma Venus.
Cæca sequuta Dea est longo satis interuallo
Exacuens iras in mea damna suas.
Me Natura leui, & procero corpore fecit,
Et formosa dedit brachia, & ora mihi.
Me Venus arciferi donauit cingulo Amoris,
Sic vt nulla meas spernat amica preces.
At Fortuna meæ suspendit saxa sinistræ
Paupertatis onus: pauperie ecce premor.
Iram pone tuam, tuus hic Fortuna Poëta:
Quem sola ex omni parte beare potes.

Fœminas ex arca formosas amari. LXIII

Vtcunque sint deformia ora fœminæ
Formosæ in arca diuiti:
Amantur omnes hoc auaro seculo:
Procis petuntur omnibus.

Et quæ mihi vspiam fuit formosior,
Et gratior formositas?
Os, ventrem, & ipsum animum mihi satius puto
Pecunia, quàm corporis
Solos bono fragili oculos, hac corporis
Formositate pascere.

SOPHISTAE. LXIIII

Nummos amo, quid colligis?
Parcum, atque auarum me, nego
Sophista consequentiam:
Amo villeam, quid colligis?
Libidinosum me: nego
Sophista consequentiam.
Et consenesces ah miser
Sophista meandris in his,
Tuísq; gyris, antequàm
Tam absurdè inepta comprobes.

VALONI, Congeries virtutum. LXV

Sceuæ animus incorruptior:
In iure Montholonij
Profunditas, studium, labor:
Thomæ sagax peritia:
Cotterij eloquentia:
Taborotij promptissimus
Caussis agendis spiritus:

Vni

Vni hæc tibi insint si omnia,
Diuisa quæ sunt pluribus
Primum aduocatum, & maximum
In Francia, in Burgundia
Te iure dixero mi Valon.

De Seipso, & vxore dotata. LXVI

Non adeò formosa mihi dum ducitur Vxor,
Sed cui sint gemmæ, iugera, item loculi.
Si rogitas, de me tota quid in vrbe feratur:
Aiunt me digitis nubere, non oculis.
Nubo equidem digitis, magnam dum supputo dotem
Coniugis, ingenitam nempe pudicitiam,
Et dum præcipuum bellè contemplor honorem,
Qui mihi de vigili coniuge semper erit.
Næ veris verè est oculis me nubere? nubo
Non oculis equidem corporis, ast animi.

De CATHARINA filia Prognosis. LXVII

Nympharum (fateor) Charitúmq; nouémq; Sororũ,
Nulla mihi visa est: cognita nulla Dea est.
At quantum nostros sublimius audio vates
Dixisse, & chartis exhibuisse suis.
O mea tu læto dum te contemplor ocello,
Et video faciem dum Catharina tuam:
Mox in te Nymphas, Charitésque, nouemq; Sorores,
Et reliquas bellè crescere dico Deas.

Sed ne erres, fortasse mihi de te hoc dedit uni
O mea præclarum filia iudicium
Hic pius affectus: quo non maiórque, priórq;
Est alius certe, nempe Paternus amor.

FABVLA in ænigmate. LXVIII

Cœperat antiquos nimium compescere fluctus,
Cœperat & lentas ducere riuus aquas.
Hinc noster caruit campus redolentibus herbis,
Nostráq; prata suas non habuere rosas.
Vidit Ouis: facinus gemino bis fleuit ocello:
Bis flentem risit proxima Morus ouem.
Ridenti acclamant duo Vulpes unus Asellus,
Vt ridere, mori sic quoq; More potes.
Quisquis es Ataij iuras qui in uerba magistri:
Et qui diuinas, dicite uos, quid id est?

BARRATO elegantiori. LXIX

Ardentem Deus aliger
Nusquàm lampada cor fundet in hoc meum,
Quando iratus adhuc me
Istos carminibus molliculos uiros,
Qui curant sibi maximè
Barbas compositas togas
Perstringo uarijs modis:
Inter quos mihi tu uiuis, & ambulas,
O Barrate. Ideo modò

Te bellum Veneris rideo militem,
Et sum perpetuo tuam
Risurus teneram, & molliculam cutem.

Amico non amico. LXX

Si quis suis vnquam fuit quicquam hostibus
Supplex, amicis contumax,
(Pompeius indicauit esse vt Tullium,
Cùm dixit, I tu ad Cæsarem,
Et me timebis amplius:) quod sentio,
Quod sentio (inquam) certè is es,
Qui me iocis, dicterijs, & id genus
Balbutijs turbas nimis.
Tenebrioni autem vni, eiq; liuido
Homuncioni in omnibus
Vis obsequi: pro quo cuti non parceres,
Nec differas etiam mori.
Quòd si sapis: tibi salutem ex hostibus
Quære, at require, qui te amant.

Puellæ. Allegoricum telum. LXXI

Puella saxis durior,
Me non amas? volo mori
Miserrimus finis meæ
Vitæ laqueus erit mihi:
Aut ab arce præceps decidam
In puteum vel Sagonam:

Non sic fit. At mori lubet
Telo, manu quod attero:
Cui dum incubo præcordijs,
Etiam tuis infigam, ut hîc
Mecum simul mortem oppetas:
Vindicta de te una hæc mihi est.
Age incubo, infigo simul,
Puella saxis durior.

Votum Poëtæ. LXXII

Quid reputas lepidum inter dulcia vina Poëtam
Poscere, & in votis continuare suis?
Non tyrias vestes poscit, viridesq; Smaragdos,
Diuitias Cræsi, diuitiásve Midæ.
Nil dominos Reges curat, gentémq; togatam:
Plutonis spernit, spernit & arma Iouis.
Vt quocunque nouos Septembri mense racemos,
Et tractet manibus, supprimat & pedibus.
Vtque suo cantet maturas tempore messes
Audeat & Veneri dicere: viue Venus.
Deniq; continuos ut centum gaudeat annos:
Extremum mors ut vita sit illi alia.
Hæ lepido curæ, hæc lepido sunt vota Poëtæ:
Dic mihi si possunt his meliora dari?

I. TRIBILONO Aduersarijs resistendum. LXXIII

Portat, alit, nutrit, ditat, fouet, ornat, & armat

Assoia

Assona nescio quos non homines homines.
At tales mecum populares effugite ô vos,
Nimirum stolidos, barbarieq; rudes.
Tam nihil hi claris peiúsque, priúsq; Poëtis
Oderunt, toto Pieridúmque choro,
Vt me iterum turbent te iterum Tribilone molestent
Garrulitate sua, nequitiáq; sua.
Macte sed hîc animo, murus quoq; ferreus esto:
Hîc sum macte animo, murus ahenus ero.
Scazontas clypeos, gladios portamus Iambos:
Hoc modo in armatos quis mouet arma viros?

FORTVNAE Interminatio. LXXIIII

O te ferocem bestiam, cæcam Deam
Rides Girardum siccine?
Inuisus is nimis nouem est Sororibus,
Inuisus atque Palladi,
Hinc viuit adeò tristis in angustijs
Vt nomen ignoret suum.
Tu sola facis hoc: nullus est qui te Deus
Quæ te adiuuet nulla est Dea,
Verùm hoc quid est? exhaustus argento vndique,
Exhaustus auro est deniq;.
Iuro Deos: si durat hic risus tuus
Duos dies adhuc: ego te.

Iambis suis. LXXV

Non amplius vestro ocio imponam, mei
Sed vos Iambi ego sinam
Quiescere usque: vos modo hic mihi semel,
Et ad vltimum ferociam,
Vestri tumultus omnium, vestri omnium
Iras, truces & impetus
Homuncionis in impudentiam vnius,
Ignauiam, vecordiam,
Superbiam, & stultißimas ineptias
Augete, & hic effundite:
Vt quo impudens, vecors, superbum etiam magis,
Magisq; sit ineptum nihil.
Virtutem amatis, Palladisque Virgines
Mihi obsequimini hic sedulò.

Iocus in Cucullos duos. LXXVI

Cunctas miserat Henricus per vrbes
Princeps, qui sibi aues statim referret.
Viuunt sub superis duo viri astris
Ille, atque hic adeò boni, pijque vt
Vxores videant: patiq; poßint
Mœchas, & veluti suos amicos
Mœchos excipiant. & hunc, & illum
(Ne te plus nimio morer) facetus
Risu non sine Principi minister
(Ride quisquis es) obtulit, deditque:

Mox

Mox præsto iubet euolare: parent,
Sumptísque ex Venere, & pudore plumis
Terris, atque mari altius volàrunt.
Hinc risus varius, iocusq; obortus.

Condiscipulis Ad literarum studia exhortatio. LXXVII

Turbidus horrisonis diuerberat Aeolus alis
Aëra, dum pluuias colligit, atque niues.
Deposuere suos & Phagus, & Vlmus honores:
Deciduis colles ingemuere comis.
At Laurus summo Musarum sacra Patrono,
Laurus Pierij gloria, laúsque chori,
Frigoris, atque hyemis patiens sua pondera baccas
Extendit, medijs iactat & in folijs.
Nos nostram Pueri Laurum Iuuenesq; sequamur,
Et pluuijs vngues, & niuibus laqueos.
Quisque sui quin ingenij viridaria pandat,
Venditet & study dulcia poma sui.

Iocus de Marito, & Vxore. LXXVIII

Marite mi marite mi,
Iniustus es nimis mihi:
Qui quòd querar is de me habes
Nihil, nihilque d[illegible]is
Illis ministerijs, quod hic
Expostules: qui non capis

Summi voluntatem Dei,
Dum quæ patras per me impedit.
Clamabat hæc vxor viro,
Cùm vapularet fortiter.
Asina (inquit ille) næ ad suum
Balaam similibus est sonis
Locuta? quòd si etiam plagas
Inferre non vis me amplius,
Modò me Angelus aliquis increpet.

Ad GVLIELM. GIRARDVM, fratrem
PARAENESIS peregrini studij. LXXIX

Mollibus in plumis sapiens, patrióq; cubili
Rarum virtuti iudicat esse locum.
Et certum est: primos quòd si tu transigis annos
In patria non sit deliciosa licet,
Atque hîc nasutæ tolerans dicteria plebis,
Delíteas tacito, desideásq; foco,
Virtutem maria, & varias quæ eremigat vrbes
Obscura poteris, quî reperisse domo?
Facundi fuit hanc amor irrequietus Vlyssis
Assequier: socio quæris Vlysse frui?
Sirenum blandos imprimis effuge cantus:
Quos si tu clausa præteris aure sapis.
Deinde tibi neu te formosæ carmina Circes
Eripiant, (frater) móxq; deinque vide.

Orato

Oratori indocto, & insipienti. LXXX

Orationem maximam
Et verba dixisti omnia
Magnis super rebus, super
Sapientia vt verè queam
Magnis tuum rebus caput
Exhaustum, inanitum, & vacuum
Omni quidem Sapientia,
Verè queam (inquam) dicere.
Orare posthac desine:
Arare tu magis potes.

Blatteroni. LXXXI

O metamorphoseon, subitas noua corpora formas
Quæ pica est nobis, talpa aliquando fuit.
O metamorphoseon, subitas noua corpora formas
Est Capra, quæ nobis pica aliquando fuit.
Prouocat hæc petulans Capra forte ad prælia Taurũ,
Tam noua tam pungunt cornua, támq; calent.
Campum intrant pugiles, breuiter certatur vtrinq;,
Bos victor mugit, Caprâq; victa fugit.
Qui tua mentiris stolido mendacia vulgo
Blattero respice me, Blattero respice te.
An non hæc de te, non hæc quoque fabula de me
Dicitur? hoc (rursus sis nisi talpa) vides.

Io. BORTHONI, De hostibus suis. LXXXII

Quæris quos habeam ex miseris mortalibus hostes,
Fugiámq; naturaliter?
Accipe mi Bortho, verbis tibi dico duobus
Hostes mihi esse maximè:
Qui duras doctis auertunt cantibus aures:
Qui Apollinem, & Musas fugiunt:
Intereà tamen inter se communiter omnes
Omnes sibi artes arrogant.
Hæc inuisa Deis stirps, stirps inuisa Deabus,
Cui quæso homini amari potest?

D. S. BELLINO Polymniensi Canonico, Hilaritas. LXXXII I

Clarum ô diem hunc: hunc ô triumphalem diem
In crastinum qui nil reseruat, omnia
Sed qui vorat, tam verus hic est Pamphagus.
Hoc hoc Ceres, Lyæus atque Gratiæ
Bibent apud me, & explicabunt deniq;
Suas choreas: ille festiuus Deus
Priapus interim suos dabit iocos,
Risumq; nobis commouebit plurimum.
Belline prætermitte paulùm hæc ardua
Negotia, & mox ad me veni. Vis gratius,
Quàm cum Deabus & Dijs conuiuium?

GRINODO. LXXXIII

Musa Polymniacas vt amica Polyhymnia sedes

Te volujt dextris vsque venire auibus.
Et Grinode sibi ciues gratantur, & vrbi:
Vt quibus & lumen, Phœbus & esse potes.
En tibi ridentem multus puer arrigit aurem,
Te mirantur anus, suspiciuntq; senes.
Hic tibi colloquio occurrit, complexibus ille:
Hic digitos, hilarem porrigit ille manum.
Ecquid ego?ne vnus resupino restito ventre?
Et videor Musas non coluisse tuas?
Ecce autem ad te non venio: sed viso, saluto
Te calamo: grauis est pésq;, animúsq; mihi.
Si vis Pieridas dicam, Charitesq; Sorores,
Candide tu fratrem vise Poëta tuum.

Blatteroni. LXXXV

Quottidiana tibi sunt pocula, quottidianæ
Tibi sunt dapes ô Blattero.
Docto cuiq; viro impura maledicere lingua,
Et quemque ridere optimum.
Pocula sunt autem (nescis) hæc plena veneno,
Stomachóq; difficiles dapes.
Solue tibi dura potus ieiunia glande,
Sitimq; tuam aqua reprime.
Sic tibi prospicies tandem, tandémq; videbis,
Ne te illa, & illæ strangulent.

De quinque puellis Assoniens. eximijs. LXXXVI

Est procul à toruæ feritate Leona Leanæ:
Est Regnarda sua simplicitate grauis.
Compositos cytharæ ad sonitum bellè exerit artus
Marandeta agiles docta mouere pedes.
Sunt Perreria, & illa stata Mercaria formæ:
Et nummis plenos vtraq; habet loculos.
Quæris quam vxorẽ cuperẽ ex his quinque puellis?
Opta, si dicant, hîc mihi quinque Patres,
Iam redeant nostrum Saturni tempora in æu um:
Et mores habeant secula nostra alios:
Atque ambas quibus est stata forma, & gratia dicã
Me velle vxores has simul, atque semel.
Sed quia non fit ita: heus Venus ad me, túque Cupido:
Casibus hæc fiat præda, vel illa meis.

PICORNOTO. LXXXVII

Grammaticas classes, puerorum denique turbas
Iubes valere plurimùm:
Atque beatarum ruis ad cunabula legum,
Animoq; acri, atque hilari aduolas.
Hoc Picornote est, tardis, rudibúsque ab Asellis
Equos adire strennuos.
Ast vbi tot libros ingentia pondera magni
Capitis vides, & aspicis:
Protinus ad nostros curris magno impete scribas,
[illegible]amque quam Praxin vocant.

Hoc

Hoc Picornote est, tardósque, rudésque ad Asellos
Transire equis à strennuis.

De Poëtis, & seipso. LXXXVIII

Omnibus est inimica pijs Fortuna Poëtis:
Sunt omnes laceri, sunt inopes, miseri.
At ceca Natura Deæ dispendia pensat:
Mendicos siquidem fecit eos validos.
Gnauiter vsque petunt illi, sunt vsque petaces:
Alterius non sum conditionis ego.
Differo id à multis (vt sunt mea fata) Poëtis
Est calamus, sed non est mihi lingua petax.
Erubet hæc: va duro isti, ingenitóq; pudori,
Qui toties nocuit, qui mihi sæpe nocet.
Erubet ille nihil: nimium inde petacior ipse est:
Quoslibet hac Vates vincere parte queo.
Ergo meam meus hic calamus mihi quærere vitam
Occupet: æternum tu mea lingua tace.

In POPINVM Vitilitigatorem. LXXXIX

Buxo pallidius caput Popinus,
Nullis popinis infrequens,
Qui abstergit digitis suis profundas,
Et fœtidas suas nates,
Qui planè omnia quæ in virum salacem,
Stultúmque possunt dicier,
Vincit stulticia sua profectò,

Vincitq; turpidine.
In ius me vocat, & mouet mihi acrem,
Facítq; controuersiam.
Quod si plus saperet, vocaret ille
Et me, & Patronum, & Iudicem
Ciuili ore Popinus in popinam:
Vbi non tot est nummis opus.

In AVLVM, & eius Hæredes auaros: XC

Turpi noster opes studio congesserat Aulus,
Inuisus fuerat cui nimium Populus.
Hic moriens sic est hæredem affatus auarum,
Tam timuit Stygios vmbra videre lacus:
Quæ signata mihi sunt auri pondera multa,
Non mea sunt: dominis mox ea redde suis.
Hoc, vnóq; meam infœlicem animam eximo fasce
O hæres, quo onero téq;, tuos humeros.
Hæc, eadémq; suis moriens hæredibus Hæres
Dixit, & illi alijs, rursus & illi alijs.
Finiet & citiùs sua magnus secula Mundus,
Reddita quàm proprijs pondera sint dominis.
Quin ea qui reddat, nec cui committat habebit
Vltimus, atque illis obrutus vnus erit.

AMICIS DIVIONENSIBVS. XCI

Toties amici dicitis:
Girarde paulùm cogita
Tum ciuibus, tum copia

Rerum

Rerum omnium vrbem indytam
Hanc, Diuionem, vbi potes
Tibi comparare facillimè
Honorem, opes: At desidem,
Ingloriúmque detinet
Te tristis Assona interim.
Võbis ego respondeo:
Mihi Cæsaris notissima
Multùm placet sententia.
Secundum haberet Diuio,
Me verò habet primum Assona.

E. CLOPPOTIO Solitudinem malo consortio potiorem. XCII

Cur tu me toties istis clamoribus vrges
Cloppoti, atque oneras, impedis, at grauas?
Nusquam solus habet, qui sese subleuet (inquis)
Et amat nihil Natura solitarium:
Tum præsens homini Deus est homo, scilicet hoc est,
Nullum hominẽ videas, tristia cuncta vides
Dulcia fœlicis defraudas tempora vitæ:
Stultam ô tuam Girarde solitudinem.
His ego: qui socias sibi fecit, habétque Camœnas,
Quiq; sibi Phœbum fecit, habet socium.
Nunquid deserta dices hunc viuere terra,
Miserúmque misera in solitudine degere?

Secum habet ille ſuos præſentia Numina Diuos
Eſt homo ſæpe homini(me mihi teſte)lupus.

Groſſateſtæ Craſſa Minerua interpreti. XCIII

Nouem Sororum illam nouam,
Pulcherrimámq; fabulam
Interpretaris tam malè,
Quàm Groſſateſta es omnium
Rerum bonarum neſcius.
Interpretationem eam
Autem tuam tam candide
Interpretor, quàm ſum omnium
Rerum malarum neſcius.
Et de meo te interprete
Sic interim ſic iudico.
Nuſquàm ſubibis me Hercule
Plutonis impiam domum:
Es nempe totus Innocens.

In NANIOTVM Torbinem. XCIIII

Nuper ſanguineo Nebulonem climate vidi
Qui plana facie eſt: qui inflata, & fronte rotunda eſt:
Mobilibus, tremuliſque oculis: qui grandia labra,
Grandia ſub magnis immenſum dentibus ora,
Grandes auriculas, grandem farragine ventrem
Protendit: paruis qui magnos naribus ignes:
Qui paruum naſum, qui paruum denique collum,

Vncatásque manus, talósque, pedésque superbos
Semper habet, vult & nos inter semper habere.
Vt vidi, hæc mecum tacitus duo carmina dixi.
O hæc, ô cuius sunt conscia firmata mentis?
O de signatis signatum millibus vnum?

Dardanario. XCV

Dum frumenta domi abscõdis, dum abscõdis auenas.
Dum pisa emis, dum emis fabas,
Intereáq; tuas onerosas nauita naues
Componit, Euge quid facis?
Annonam attentas, annonam Dardane vexas.
Impunè verò an hæc feres?
Omnis tartareo Populus te deuouet antro:
Te in ius vocat tota Assona.
Quin alta Iudex statuit iam dicere sede
In te suam hanc sententiam.
Dardane viuis adhuc, nec & interdicitur omnis
Tibi negotiatio:
Publica nam dum te cecidisse negotia nolunt,
In publicum te damno opus.

PASQVILLVS Burgundus
Ad Rignerum. XCVI

Tu nitidas vestes lacera Rignere, tuíq;
Disrumpe cultum corporis,
Túque tuos duris manibus rescinde capillos:
Te magnus absumat dolor.

Deinde miser furijs agitêre, agitêre Megeris
Modò huc, modò illuc irruens.
Cur ita? non leuis est occasio: mortuus esto:
Tua iam alterius est Margaris.
At si de stolida Fortuna, & stulto Hymenæo
Bellam ultionem quæsitas.
Huc uenio, tibi in hoc cupio seruire libenter:
Manda mihi negotium.
Prima equidem statuo lectum permeiere nocte
Fututor in quo pruriet:
Idq́ue adeò ut nequeat Veneri indulsisse: dolebit:
Nos plurimùm ridebimus,

DOCTORI DOLANO. XCVII

Inconstantem animi te dolor enecat
Doctor? tu cytharam rumpis, & abijcis?
Iucundo celebres duc potius choros:
Huc te Musa uocat mea.
Infœlix rigidum Phillis adulterum
Desponsat fragilem, rumpit amor fidem.
Næ tu propterea de stabili gradu
Firmum dimoueas pedem?
Cessa, deinde uide: se tibi Phillides
Plus mille obtulerint: fœmineo grege
Sunt plena undiq, sunt fœmineo grege
Plena inquam omnia: ne time.

De D. BARP. Anulo. LXXXIX

Terra

Terrarum vbi, atque vbi gentium
Nancifcar Anulum meum,
Cuius lapillus eſt amor
Simplex, & emicans amor,
Virtute, & efficacia
Qui poßit Anulum Gygis
Superare? Muſa dic mihi,
Terrarum vbi, atque vbi gentium
Nanciſcar Anulum meum?
Dic Muſa: dixit, audio.
Lugdunum adi (inquit) Ciuitas
Quem quæris Anulum tuum,
Ornare qui tuas manus,
Ornare qui te denique
Totum queat, præſto dabit.

In D. Henrici Valesii Fran. Reg. Chriſtianiſſ. inſignia. XCIX

Cuius ſtemma nouum? Aenigmata qualia?
Et cui conueniunt? maximi, & optimi
Sunt Regis: ſuperos qui ſibi habet Deos,
Vt cœlum ſua ſydera.
Creſcit prole, viris, diuitijs, mari,
Terris, imperio, Iuſticia, Deo
Vltra, atque vlterius: Quid reliquum putas,
Quàm quod vel pueri vident.

Vt cum Luna suum lumine circulum
Implerit properè pleno ea luceat
Cælo, atque has tenebras his adimat locis
Rex Rex Henricus Henricus.

De seipso redeunte à certamine literario.

Dum Pyrrhus rediit domum superbus
Rebus tam ex animo suo peractis,
Postquàm sese Aquilam à suis vocari
Audit, vestra Aquilam (inquit) arma vestra
Me toto faciunt volare cælo.
De certamine litterario illo
Huc fælix venio: meæ Camœnæ
Accurrunt, me Aquilam vocant, salutant.
Hoc verum est: Varius meis profectò
Pennarum ordo humeris, adunci, & ungues
Accrescunt digitis. meæ ô Camœnæ:
Per vos fio Aquila, adiuuate verò,
Ne quando queat adsequi volantem
Me Liuor malus, & satis volaro.


Lectori. De suis Centurijs.

Exautorari plures me iudice debent
His lector ignauos in armis Milites.
Sed quid ego facerem? quid me potuisse putabis
In hac necessitate, in hac penuria?

Con

Consumant fruges nisi non, & pocula potent,
Numeri tamen sunt, ambulant, habent pedes.
His voluere suas Numeris absoluere Turmas
Primi huius ipsius Duces exercitus.
Idque ideo neu quis medio ausit dicere campo
Abradere peditum eos sibi stipendia.
Prætereà timuere meus neu vincier Hostis:
Possit minore, minus & armata manu.

EPIGRAMMATΩN CENTVRIAE
QVINTAE ET VLTIMAE
FINIS.



IOANNES GIRARDVS DIVIONENSIS DIVAE IMMORTALITATI S.



ORMIDABILIS annorum Series, & inuidiosa Vetustas, rerúmque edax Saturnium tempus tres in meam perniciem dudum iurati inuidiæ Carnifices nusquam vspiam mihi, hisque meis cohortibus insidiari desinét: multùm itaque vereor ne aliquando huc clanculum, & derepentè obrepant, nósque inopinantes tinctis lethali veneno telis infestent, saucient, opprimant. Tu ob id ideo, Diua Immortalitas, arma hîc, quæ nos vulneribus inuiolabiles faciant impenetrabilem perpetuæ Memoriæ vmbonem, quo nos ab obliuionis iniuria sartos tectos asseras, tereté denique Aeternitatis gladium, quo rigida tantorum, tamq ue perditorum hostium capita vndique trunces, non à Vulcano illo, sed ab æquo, & bono, iam primum accipe, & festinantius indue. Cæterùm absque aliqua mora totum hoc meum mihi agmen mecum claude, quasique coge.

Ego

Ego profectò gloriosam victoriam, speciosa, amplaq; spolia confidentissimè expecto. Quinimò (si scire vis) integras Carminum columnas: suaues, & facetos aliquot Dialogos: ad populares plausus, & omnium acclamationes excogitatas, descriptasque Comœdias in diem, pompamq; triumphi: Ea item, quæ de iure scripsi omnia in profundam, & solidam Pacis quietem mihi, tibique reseruo, & præparo.

Ecce autem iam quisque suis se ostendit in armis
Miles, & ipsa suum Gloria monstrat opus.
Fit clamor: noster viuat, valeátque Girardus:
Tu mecum hostiles percute, rumpe manus.
Scilicet alma mei in te adeò est fiducia voti,
Vt me posse negem temporis ense mori.

VALE, ET REGNA DIVA
O IMMORTALITAS.


ASSONAE, AD CALEND.
IVLII. 1552.

Y

CORNV FERIT ILLE, CAVETO.



1 Immortalitas.
2 Carminum Centuriæ multipedum.
3 Animus resistens.
4 Gladius æternitatis.
5 Clypeus æternæ memoriæ.
6 Tempus.
7 Saturnus.
8 Vetustas.
9 Annorum series.
10 Rerum obliuio.
11 Inuidia extincta.



EXCVDEBAT
MATHIAS BONHOMME
LVGDVNI.

